














XXXIV
MACED.

# COMMENTATIONES
## DVÆ
## ECCLESIASTICÆ POLEMICÆ

Altera.

*Pro Sancto Vincentio Lirinensi, & Sancto Hilario Arelatensi, & Monasterio Lirina.*

Altera

Pro Sancto Augustino, & Aurelio, & Patribus Africanis

AVCTORE P. Fr.

## FRANCISCO
## A SANCTO AVGVSTINO
## MACEDO

Lusitano Minoris Obseruantiæ

*LECTORE SVI ORDINIS IVBILATO Publico Patauino;*

*VENETO CIVE.*






VERONÆ M.DC.LXXIV.

Ex Typographia Noua Rubeana.



*ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.*

# FRANCISCO
## MARIA PHÆBEO
### PRÆLATO DOMESTICO

Pontificio: vtriusque Signaturæ Referendario: Consultori Congregationis Consistorialis, & Sacræ Visitationis, Sacrorum Rituum, Congregationis super statu Regularium, & super Indulgentijs, & Reliquijs, & Sanctissimæ Vniuersalis Inquisitionis;

*Canonico Sancti Petri, Abbati Sancti Seueri: Commendatario Sancti Spiritus; Archiepiscopo Tarsensi.*



Onferenti mihi sæpè, ac diu, Illustrissime, & Reuerendissime Phæbei, præclaras animi Tui dotes cum Illustribus Familiæ Tuæ Heroibus, illud videri solet, tantum à Te splendoris maiores Tuos

accepisse, quantum ij Tibi claritudinis tribuerunt. Adeò ex æquo certant virtutes propriæ Tuæ cum Prosapiæ ornamentis, vt cùm hæc meritis reddita esse constet, tum illis hæc debita videantur. Itaque nec ornamenta meliùs collocari, nec merita sublimiùs ascendere potuerunt. Illud mirabile effecisti, vt commune effatum: *Qui genus iactat suum, aliena laudat*, à veritate deficeret. Etenim omnia nobilissimæ stirpis Tuæ lumina, quæ summa sunt, Tuarum opera virtutum, propria reddidisti; quæcũque ij, & Paludati, & Togati foris, & domi præclarè gesserunt: ea omnia vnu tu Togatus in Romana Curia grauissimis functus muneribus partim reapse præstas, partim animi magnitudine repræsentas. Nec Maiorum tantùm, sed etiam Patriæ, qua nulla est vel antiquior, vel nobilior, vel ornatior, vel opulentior, vel ciuium dignitate præstantior. Ecquis ignorat istam vrbem florem, ac gemmam esse Italiæ, Cereris, & Bacchi,

Po-

Pomonæ, & Amaltheæ domicilium, ob cæli delicias amabilem; ob aeris temperiem, ſalubrem; ob ingeniorum acumina mirabilem; armorum palæſtram; Doctrinarum Lycæum; Amorem Principum, qui tanquam proci honorarij eam in ſponſam toties petierunt, & pro habenda decertarunt; præſidium Religionis, ac propterea Romanæ Sedi gratiſsimam; in cuius demum clientelam ſponte ſua voluit deuenire; vt clauibus illis ſubijceretur, quæ Cœlo imperant; propè quod eſse debuit, cùm eſſet Europæ Paradiſus. Huius Tu, Illuſtriſsime Phæbei, imaginem præ te ferre ſoles propter indolis ſuauitatem, ingenij ſubtilitatem, iudicij maturitatem, benignitatem erga omnes, magnificentiam, ſplendoremque dignitatis, inſignem litteraturam, præſtantem doctrinam, peritiam rerum ſacrarum; quibus Tu dotibus de tota Eccleſiaſtica Republica optimè meruiſti: Patriæ exiſtimationem auxiſti, genti-

lium

lium insignium decora exornasti. Quidquid clarissimæ Patriæ Tuæ natura contigit, id Tu omne virtute libera expressisti: quas illa amænitates, & vtilitates genio feraci protulit, eas Tu felici ingenio repræsentasti, & ad salutem publicam contulisti. Beata Patria, quæ te sui similem genuit: Tu fortunatus, qui, cum in ea natus esses, qua nulla est præstantior, eius votis, ac expectationi respondisti. Nescio, vtri magis gloriandum sit, Matri ne, quòd talem Filium tulit, quem omnes ei aliæ Ciuitates inuident; an Filio, cui nemo non alienus de Patria gratulatur? Fuerunt Græci Heroes, qui Superis gratias agerent, quòd Athenis nati essent, propter vrbis celebritatem. Eam Tu nactus es Patriam, Illustrissime Phœbei, vt propterea Deo à Te habendæ sint gratiæ, quòd in ea natales habueris. At quos natales? nomini Tuo congruentes, planè Phœbeos, & Solares. Phœbeios, inquam, non plebeios; Solares,

lares, non vulgares; lucidissimos, splendidissimos, fulgentissimos. Et quæ summa genealogicæ lucis laus est, antiquissimos. Illa est nobilissima Familia, quæ ob antiquitatem, fumosam habet originem. Nobilitas magis fumo, quàm luce comendatur. Rutilat, cùm fumea nube inuoluitur, & duplicat Solem. Atque vt hic & in Oriente, & in Occidente rutilat; ita Sol Nobilitatis Tuæ & in ortu, & in occasu splendescit. Sunt enim, qui in Hispania cunabula Gentis Tuæ ponant. Sunt qui in Italia: dissensione felici, quæ, dum loca disiungit vtrumque Solem coniungit, & Orientem Italicum, & Occidentem Hispanicum. Vna stirps tua vtrumque Solem continet, & perpetuum agit diem; nè qua parte obscuritatem admittat. Illud tamen constare videtur Stirpem Tuam clarissimam ad Orientem in Italia Romæ natam, ad Occidentem Hispaniæ commigrasse, more Solari, qui ab Ortu in Occasum tendit: obliquo

sane

ſane curſu, quaſi ſemper ad orientem ſe-
reuocet, illumque reſpiciat. Et quidem
maiorum Tuorum radios Genealogica,
quam ſubijcio, historia explicabit. Tuos
operæ pretium erit colligere. Macte Fœ-
bei omnes dotes, tum quæ natura inſunt,
tùm quæ arte comparantur, collegiſti,
& verum Solem germanus Phœbus re-
præſentaſti, vt congeminatis luminibus
ſolus Sol eſſes. Et quidem alij Soles ſtir-
pis Tuæ ſi cum alijs comparentur, Soles
ſunt: ſi tecum conferantur, ſoles eſſe deſi-
nunt, & ſtellæ fiunt. Decorum tibi eſt
ita naſci, & ita adoleſcere, vt poſsis ob-
ſtruere illorum luminibus, qui Te præ-
ceſſerunt. Luxerunt ante Te alij; ſed Te
nato eluxerunt. Non modò obtudiſti
Maiorum radios ſplendore vberrimo, ſed
etiam præſtrinxiſti. Iis præditus es virtu-
tibus, vt ſi Maiores ſplendidos non habe-
res, quales Tullius non habuit, ijs prælu-
cere poſses, vt à Te ſplendeſcerent; eos
tamen nactus es Maiores, vt cum ipſi per

ſe

se splendeant, ijs pariter collucere, & augere lucem potueris, reddendo iis cumulatè lumina, quæ donarunt. Antecedunt illi Te annis, non meritis, Maiores ætate, & gradu, sed minores virtute, ac dignitate. Vnus Tu plura honorum insignia gestas, quàm olim spolia Triumphatores, sorte meliori; cum hi spoliarent alienos, vt se ornarent; tu merueris ornamenta, quibus ornares Tuos, & alienos. Tua virtus Phæbeæ similis radios vndequaque diffundit. Omnia signa virtutis prodit; & nunquam in illis varijs, ac diuersis occupationum motibus à linea honestatis recedit. Hanc Tu Eclipticam tenes, at citrà Eclipsim; defectum non pateris, & ex integro micas, non luce, aut vicissitudinaria, aut sedentaria, sed perpetua, vigili, vaga, & in omnem partem mobili, dum lucidum orbem circumfers, & illustras Orbem. Hoc vno Soli dissimilis, quòd vices Ortus, & Occasus nescis; semper meridies

¶¶ Tuus

Tuus liquet, nec vllis obtenebrari potest nubibus vel inuidiæ, vel fortunæ. Romæ in Vrbe capite Orbis à teneris effulsisti: Quinque Pontificibus acceptus, à quibus quasi ex contentione ornatus; honoribus sequentibus merita, gradatim ad culmen ascendisti, exclusa fortuna: Tot ij sunt, vt quemquam alium possent obruere multitudine, ac pondere. At Tu omnium capax fers, & sustines numerum, & molem. Eos alibi commemoro, nunc illud sumo; ad eos præstandos opus fore centenis oculis, centenis manibus; Tu tamen omnes vno intuitu, plusquam Argus, vna manu, plusquam Gyges, comprehendis, & administras. Munus insigne Commendatarij varium, & multiplex, quo nihil est occupatius, difficilius, impeditius, tanta facilitate, ac felicitate geris, vt Intelligentia, quæ Cælum mouet, esse videaris. Ibi Nosocomium, ibi Xenodochium, ibi Orphanotrophium, ibi Gynæceum, ibi Ordo, ibi Cœnobium,

ibi

ibi Ecclesia ; ibi omnes Reipublicæ partes continentur. Cuncta rectè, ac ritè administras, & administrando auges, & locupletas. Auxisti redditus, amplificasti fabricam, beasti miseros, ornasti Religiosos, omnes in officio continuisti; satis est hoc munus ad distinendum virum, & prudentem, & validum, Herculi sacro parem. Sed pro Tua amplitudine exiguum, & leue apparet. Itaque alia, & penè omnia sacrarum Congregationum munia obis, ceu singulis natus fueris; factus ad res Diuinas, sacris operaris, & pensa Ecclesiastica ad D. Petri Religiosè soluis, & piam mentem Canonicis functionibus exerces. Vbique frequens, ac præsens imples Curiam, & quasi in pluribus locis vnus ipse sis, in nullo vnquam desideraris, specie quadam obiecta miraculi, certè omnibus admirabilis. Vales doctrina, eruditione Sacra, Profana, varia. Libros pulcherrimos Sacrarum Disciplinarum refertos in lucem edis, quæ

docti opera suspiciunt, pii venerãtur. Litteras amas, & profiteris, quibus proficis Christianæ Reipublicæ. Doctrinam morum exemplis confirmas. Viua lex recti, iusti & æqui norma, idea virtutis videris. Insuper Te Mæcenatem probas, ac exhibes, Doctorum hominum præsiduum, & decus: vltra Mæcenatem sapiens, & nobilis. Solaris miseros, egentes subleuas, oppressos recreas, lapsos erigis, consternatos confirmas, afflictos protegis, calamitosis subuenis, infelices beas. Nec in oculto sunt virtutes tuæ: eminent, lucent, coruscant, & Solem te esse testantur. Omnes in te summæ, ac infastigio summam efficiunt ex omnium numeris collectam. Id mirabile, quòd excellis modestia quadam singulari, quæ reliquarum radios in te splendentium conatur obtundere vmbra pudoris obducta. Verùm & hoc Solis est vmbram reddere & ex ea noscitari. Laudari, efferri, metuis: imo & vetas.

Quod

Quod ego ipſe ſum expertus, qui cum vellem effigiem tuam in ueſtibulo huiuſce operis præfigere, non modo eam denegaſti, ſed etiam ſtemma ſubtraxiſti; iratus mihi quòd id tentarim. Tanta eſt moderatio tua, vt timeam ne quòd hanc Arborem tuam Genealogicam, quam extorſi à tuis, huic Epiſtolæ dedicatoriæ attexuerim, mihi ſtomacheris. Nec vanus eſt timor: cum ex quo id inaudiſti, multis per te, per que alios amicos egeris, vt à propoſito deſiſterem. Vicit tamen obſtinatio mea moderationem tuam; libertate ſum vſus conſueta. Scribo meo ſenſu, non alieno. Multum me tibi debere fateor; ſine me hoc ſpecimen grati animi exhibere. Etenim ſi minus, quàm pro eo ac debeo te commendauero, ingratus eſſe videbor. Hæc eſt mea & vnica, & propria virtus. Præterea calamus, quem ſolum

mihi

mihi fortuna è tot naufragijs reliquit, iuris mei est vti eo pro meo arbitrio volo: cum præsertim in te laudando ratio mihi habenda sit posteritatis, quæ Maiorum nobilitate alitur, & Reipublicæ Christianæ, quæ magnorum virorum exemplis ad virtutem accenditur. Vno verbo. Scribo æternitati, non tibi. Impera modestiæ tuæ ne mihi homini grato noceat: nam ego & officio, & obsequio meo imperare non possum quin suas partes exequantur. Quod attinet ad dedicationem operis non dubito, quin tibi congruat, teque deceat cum in rebus sacris, & Ecclesiasticis versetur, quarum tu es peritissimus, cum præsertim illud rem contineat innocentiæ, fidei, & gloriæ Sanctorum Lirinensium, tum existimationis Augustini & Patrum Africanorum, & inuiolatæ Ecclesiæ Catholicæ communionis. Quæ argumenta digna sunt singulari tua pietate, religione, ac fide, cùm præsertim hoc ipsum opus pro-

batum

batum anteà sit Eminentissimo, ac Reuerendissimo Domino Cardinali Albizzio, quem copiosissimè eruditum, & solidissimè doctum, & acerrimum Sedis Apostolicæ vindicem nouimus, qui mihi etiam per litteras significauit placuisse alijs in Re Ecclesiastica versatissimis, qui Romæ vtranque in omni litteratura paginam faciunt Viris, quorum ego præiudicijs fretus animos sumpsi ad hoc tibi opus dedicandum, & tuum mihi patrocinium affirmandum.

Seruus Obsequentissimus
Fr. Franciscus à S. Augustino Macedo.

# SCHEMA GENEALOGICVM

Stirpis Phœbeæ Vrbeuetanæ

*AVCTORE*

*Comite Ioanne Baptista Castelmagio.*





*VM de mandato Olympiæ Maidalchinæ Pamphiliæ S. Martini Principissæ, Innocentij X. Cognatæ, Roma Vrbem veterem me contulissem, vt de nobilitate auiæ Maidalchini Cardinalis eiusdem familiæ fratris, cui Maltensem Crucem Innocentius destinauerat (erat ea Hortensia Phæbea) diligenter inquirerem, & Cartophylacij publici instrumenta recognoscerem, reperi multa historiarum monumenta, tum Ciuitatis, tum Ciuium idoneis authoribus, Alphonso Ceccarello, Cypriano Manenti, Monaldo Monaldensi, quæ quidem fauebant claritudini stirpis Phœbeæ ea, pro meo in te, Illustrissime Domine, officio, duxi operæ pretium exhibere.*

PRimus omnium occurrit Octauianus, Pater Petri, Auus Theodorici, à quo stabiliri, & ornari cœpta Vrbeueteri Phæbea domus iampridem ibi constituta, quàm Manenti, *A* & Monaldensis, *B* inter primarias enumerant, secundum Micenelli vetustissimam, & clarissimam, & quamuis non antea nominetur à Manente, *C* & extra Consulares familias ponatur, nihil ei de nobilitate detrahitur, cum hic Consularis syllabus confectus sit multò ante quàm Theodoricus, aut Iacobus germanus frater, Vrbem

*A* Storie dell'anno 1578.

*B* Comment. del l'anno 1573.

*C* Manen. 1109. lib. 1. pag. 40.

veterem Roma migrarent, anno videlicet 1250. quemadmodum nec reperitur inter nobiles familias suspectas populo, & à magistratibus exclusas septem virorum decreto, *A* quippe quòd Phæbea gens grata semper extitit populo, & publicæ administrationis particeps fuit. Habitabat Romæ Octauianus, *B* anno M.CC. oriundus, vt ferunt, ab Hispania, sed fama obscura est, cùm omninò compertum sit, Romæ cunabula posuisse, Vbi eius antiquæ familiæ monimenta adhuc in Capitolio extant, nempe antiquo, incisoque lapide consignata memoria Phæbei olim Sabinorum Ducis, cui Callij in Senonica Vmbria Ciuitate originem ambiguam Conradum Aesinum, Anniumque Viterbiensem conatos astruere, Vghellius commemorat in Ital. sacr. tom. 2. in Episcopis Calliensibus. Et vnde Vrbem veterem translata familia.

*A* Ceccarel. 8. Febru. 1322. 2. p. 46.

*B* Monald. comment. all'anno 1322. l. 9 p. 81. 82.

Petrus Octauiani Filius, Theodoricum Ducem, & Iacobum Potestatem (nomina sunt Honestatum) procreauit, vt habetur in arbore Genealogica familiæ, delineata in carta pergamena, expressis nominibus, quæ ibi leguntur, fugientibus præ vetustate litteris, quemadmodum etiam perspicuè apparent Angeli, & Thomæ Angeluzzi nomina, qui vixere anno MCCCC. extat etiam descripta in eadem charta linea minorum ab Angelo vsque ad Petrum, & Nicolaum Pauli iunioris Auum, à quo huiusmodi arborem accepi. Verum quoniam familiæ claritudo manifestiùs apparebit ex contracta cum primoribus Vrbeuetanis necessitudine, & munerum administratione, oportere arbitror præmittere

notitiam

notitiam Regiminis huius Vrbis, vt constet qui publicos in ea gesserunt honores, eos clarissimos extitisse, cùm præsertim summa fuerit Ciuium *A* ambitio, contendente sæpè cum nobilitate, plebe, & dignitates ad se trahente, & ipsamet nobilitate in factiones diuisa sicuti in Romana olim Ciuitate accidisse legimus. Iam inde ab anno DCCCCLXX. sancitum, vt duo Consules liberam Ciuitatem tanquam capita Magistratus, siuè Baliæ (sic vocari placuit) gubernarent: sed non diu tenuit ea forma Reipublicæ, nam cùm interuenisset mors gloriosa *B* Petri Parenzi Vrbis Rectoris, & Christianæ Fidei propugnatoris, propterea occisi opera Theobaldi, & Gotifredi, qui vico Ronciglioni præerant, hæresimque fouebant, statutum fuit anno M. CL. XXXXIX. vt in locum Rectoris annui Magistratus duo crearentur, vnus Potestas, alter Capitaneus ex ordine nobilium, penes quos Reipublicę administratio *C* esset. Postea anno M. CC. XX. vsque ad M. CCC. occupata vi, & armis Monaldensium Vrbe, ab ijsdem in diuersas partes distractis, non tam est administrata, quàm lacerata Respublica, secto quippe in factiones populo, vti quisque suo Principi adhærebat, ita mutuis se vulneribus concidebant quod miserabiliter deplorat *D* Cecarellus: nihilominus perseuerabant Potestas, & Capitaneus à dominantibus electi, additis septem Consulibus, qui eorumdem arbitrio moderabantur Rempublicam. Donec tandem excusso, Pontificum opera, & præsidio, Monaldensium iugo, annuus fuit magistratus electus cum duplici

mu-

*A* Ser. Ioan. della Pieue lib. del Riform. fol. 22 1322. Monald. 1530 lib 9 p. 82. lib. 10 pag. 88. Ser. Arpino an. 1379 1380. Scr. Antonio 1384. Monal. 1019. l. 1. p. 18. 1037 l. 2. p. 179.

*B* Cecarel. l. 2. p 21. Manent. lib. 2. p. 22.

*C* Ceccar. l. 2 p. 81.

*D* Ibid. l. 2. p. 34.

munere Poteſtatis, & Capitanei: is Bonifacius VIII. Pontifex fuit, liberata *A* Ciuitate, excluſis adminiſtratione Monaldenſibus, & alijs, qui violentius imperitabant, exceptis tamen Petro Monaldo, & Vanne Maſſeo Monaldenſibus *B* alijſque pacis, & tranquillitatis amantibus, inter quos fuere Phæbei ex optimatibus, quòd factionis, & tumultus expertes erant. His minime Populus intercedebat, immò ſuffragabatur, ideoque *C* Conſules creari, & honores adipiſci, & Rempublicam gere e ſoliti. Itaque anno 1313. electi ſunt ſexdecim ſapientes, quaterni pro regionibus Vrbis, vt in Senatum venirent, & in rebelles ferrent ſententiam. Haud multo poſt tamen Monaldenſes, ad Rempublicam admiſſi, eam moderatè, ac iuſtè adminiſtrarunt. Anno deinde M.CCC.XV. *D* ſapientes ſexaginta conſtituti, *libræ maioris* appellati, peculij publici augendi cauſa. Sed nouis exurgentibus turbis Anno MCCCXXII. habito, & optimatum, & popularium conſilio, deſignati quatuor ex nobilibus, & totidem ex alijs, quorum partes eſſent tranquillitati, & quieti publicę inuigilare. Procedente die nobiles animoſiores *E* facti, quod populi ſuffragia indepti eſſent, pleræque familiæ nobilium ſunt reſtitutæ. Verùm, ne promiſcuè, & tumultuosè honores vindicarent, conſilium Baliæ decreuit, vt nobiles diſcernerentur à plebeis, & de illorum nobilitate inquireretur, cui ſi quatuor teſtimonia facerent fidem, ijs ſuffragio populari ad gubernandum opus non eſſet; ſic quædam familiæ excluſæ, quædam admiſſæ, ne omnes irruerent, & Ciues opprimerent,

A Idem ibid.

B Lib. Ref. Ser. Reſtaur. 1307. p. 82.

C Lib. Refor. de Ser. Reſtaur. 1310. 1313.

D Ceccarel. 29. Aug. p. 38. 39

E Cecc. 1322. p. 45.

quò

quò circa prudenter sancitum Anno MCCC-XXX. vt Consulatui *A* adiungerentur quadraginta optimates, & quadraginta populares. Id planè tenuit *B* vsq; ad Annum MCCCXXXI. quò Ermanus Monaldensis defensor, & caput Reipublicæ institutus, in qua is deinde Anno MCCCXXXIIII. Principatum gessit arbitrio suo, Magistratus eligens, remouensque; eo fato functo Anno *C* MCCCXXXVII. penes Monaldenses Dominatio stetit, non tamen apud eos, qui à ***Ceruara***, (quorum Ermanus erat) dicti, sed apud illos, qui Viperæ vocabantur. Hi, quòd astu Ceruarenses ab administratione Ciuitatis amouerant, Malcorini; alij Beffati nuncupati. Anno demum MCCCXXXXIV. recuperata *D* libertas, designato tamen vexillifero Duceue (Confalonerium vocant) Angelo Vanno Montanaro è Monaldensibus, & statuto, vt regimen *E* Ciuitatis, creatis septem Magistratibus (Dominos dicebant), instauraretur. Breuis ea dignitas fuit, Benedicto Monaldensi occupante Principatum, & prius dominium auertente, cuius ille temeritatis paulò post Magistratu deiectus, & Vrbe expulsus, pœnas luit Anno MCCCXXXXVI., *F* suffecto ei Conrado, quem populus, per Annum, protectorem, ac defensorem elegit; quò breui mortuo, subrogatus Comes Guido Soanensis, *G* ac eo vix decurso, Vrbis dominium, & regimen Perusinæ ditioni obnoxium esse cœpit, Anno videlicet MCCCXXXXVIII. Quoniam verò eo interuallo Optimates publicos vsurpauerant honores, decretum vt Ciuitas statui populari restituere-

tur,

*A* Lib. ref. ser. Celle 8. febr. 1322. Cecc. l. 2. p. 149. & 150.

*B* Lib. ref. d. ser. Celle. 28. Maij 1330.

*C* Ceccarel. l. 3. p. 52.

*D* Idem l. 3. p. 53

*E* Idem l. 3. p. 61.

*F* Idem l. 3. p. 66

*G* Idem lib. 3. pag. 65.

tur, ac ne vllus deinceps Nobilium, priuilegio populi gauderet, neue cuiquam illorum liceret Senatum ingredi: additum, vt qui septem Magistratus, siue Domini dicebantur, *Primores* ob vitandam inuidiam nominis vocarentur: Consilium *A* autem Baliæ ex ducentis Ciuibus coalesceret pari auctoritate, ac ea, qua Consules, & Quadraginta Viri potiti fuerant. Vixere in summa pace Ciues, donec Anno MCCCLI. Optimates *B* violentia vsi, in Concilium se intruserunt, eaque porta ad dominium patefacta, Benedictus Monaldensis de Vipera Principatum occupauit. Exinde cœperunt dici Beffati, Muffati; & Malcorini, Melcorini. Nec diuturna fuit *C* Benedicti felicitas, Anno quippe MCCCLII. vicinus Vicipræfectus ei dominatum extorsit, ac deinceps à Populo Dominus Vrbis appellatus, gessit Rempublicam. Hæc varietas Principum ansam dedit firmo, & constanti Principatui, Anno quippe MCCCLIV. Cardinalis Aegidius Albornozius Vicarius, & Legatus Innocentij VI. Papæ Vrbem ei obnoxiam fecit, & volentem Populum in Pontificiam ditionem transtulit, ac demùm vnanimi consensu Ciuium Innocentius Dominus declaratus, & Cardinalis Aegidius, honoris causa eodem nomine appellatus, *D* regimen obtinuit. Is optima administratione Reipublicę effecit, vt ea salubre consilium caperet dedendi se Summo Pontifici, ac in potestate Ecclesiæ manendi, idq; voto, & gratulatione publica testatum. Itaque, illo mortuo, de eo missi ad Papam *E* Martinum V. Legati. Perseuerauit tamen regimen septem Dominorum vsque

*A* Ceco. l. 3 p. 67

*B* Idem l. 3 p. 70

*C.* Idem l 3 p. 18

*D* Lib. rif. scr Restaur. 24. Iul. 1354.

*E* Ceccar. p. 81. l. 13. p. 83. l. 3.

vſque ad Annum MCCCLXXIX. nonnullis intercurrentibus, velut in Mari recens pacato, turbinibus, donec eo ipſo anno, tota Reſpublica ex integro, Pontifici ſe ſe tradidit. *A* is tùm erat Vrbanus VI. & quidem tranquilla, prout erat voluntaria, ea deditio foret, ſi tempora turbulenta permitterent. Horum viciſſitudo perturbauit ſtatum. Etenim Clemens VII. Antipapa, vti Eccleſiam inuaſerat, ita Eccleſiaſticam ditionem diuiſerat, cuius illuſtris erat portio Vrbeuetana. Igitur artibus, & opera *B* Berardi, & Ranaldi Monaldenſium, quos conſueta Imperij dulcedo ineſcabat, & Ioannæ Reginæ Neapolitanæ Clementis VII. fautricis opes, & copiæ animabant, turbata quies, ipſos in Vrbem immittente Cardinali à Pileo Rauennate Legato Clementiano, & in eoſdem dominium transferente. Verùm breui tempeſtas detonuit ſecuta cæde Ranaldi Anno MCCCXC. & deditione Arcis Comitis Montorij, eoque effectum, vt rediret ad verum Dominum Romanum Pontificem Bonifacium IX. cui publicum, ac æternum fidelitatis ſacramentum dictum; annuentibus Luca, & Conrado Monaldenſibus, qui tunc adminiſtrabant Rempublicam. Anno MCCCLXXXIX. habuit quaternos Conſiliarios binos factionis Muffatæ, binos Melcorinæ, & Gubernatorem Reipublicæ Nobilem quemdam Peruſinum.

*A* Ceccarel. l. 5. p. 84.
Idem p. 85.

*B* Idem lib. 5. p. 91.

Ineunte Anno MCCCC. qui *C* tunc præerat Vrbi Ioannes Tomacellus Vicarius, & Nepos Pontificis Bonifacij IX. coacto Concilio Ciuium, creauit quatuor Conſeruatores pro nu-

*C* Idem lib. 5. p. 100.

mero regionum, quibus nomen inditum Vexillarij, vulgo Confalonerij, seu capitis regionis, & quia vna earum infrequens erat, contractus est numerus, *A* & ad ternos redijt. Hic rerum status tranquillè habuit sub Domino Bonifacio, donec Anno MCCCCXIII. à Ladislao Rege Neapolitano acerrimo Pontificis hoste turbatus est, qui vsurpato per vim Vrbis Dominatu speciem liberatis obtenderat. Verum *B* eo paulo pòst mortuo, populus Comiti Sfortiæ Principatum detulit, qui nimium breuis exstitit, quoniam eodem anno Cardinalis a S. Eustachio Legatus, & Vicarius Ioannis Papæ XXII. recuperauit dominium, & Ecclesiæ restituit, suum tamen tenuit cursum vetus administratio vicissitudini rerum capitumque obnoxia. Etenim anno MCCCCXVI. Braccius *C* à Montone, Forte brachium dictus, Ciuitatem armis oppressit, & Principatum vsurpauit: ab eo electi duo Conseruatores Muffati, & alij duo Melcorini, quorum opera administrata Resp. vsq; ad annum MCCCCXX. *D* quo ad Ecclesiam rursum redire placuit. Præerat ei Martinus V. Pontifex, qui Conseruatoribus mutatis moderatorem, & Prætorem Vrbis instituit Augustinum *E* Columnam, sed populo tumultante ob dissensionem optimatum, & popularium munus conseruatorum ambientium, sortibus commissa electio, ita vt nomina Candidatorum in vrnam mitterentur, & inde extraherentur: hac ratione, vt si primus esset Muffatus, secundus Melcorinus existeret. Quaternos sortiri placuit, qui dies septem vicissim præessent, quæ forma regiminis durauit ad

*A* Cec. l. 3. p. 107.

*B* Id. l. 3. p. 113.

*C* Idem lib. 3. p. 117.

*D* Lib. riform. ser Bart Megliorizi ser. Fab da Narni 1416.

*E* Cec. lib. 3. p. 118.

annum vſq; MCCCCXXVI. *A* Interim Optimates ſubirati vi agebant, & turbas in Vrbe excitabant, quod ægre ferrent illam æqualitatem (confuſionem dicebant) Optimatum, & popularium ſublato plebis, & nobilitatis diſcrimine; quare anno MCCCCXXX. denuò ſancitum *B* vt in poſterum quatuor Conſeruatores, ſortitò eligerentur, duo primi ex optimatibus, duo reliqui ex popularibus, quorum nulla eſſet permixtio, ſed intra ſuum quiſque gradum contineretur, intra quem ſenex iuniorem præcederet. Verùm ne hac quidem ratione quies parta *C*, nam ſequens annus MCCCCXXXI. nouis diſſenſionibus, & tumultibus perturbari cæpit, atque adeo nouum gubernandi modum excogitari oportuit, videlicet addendi alios quatuor Conſeruatores ex ſecundo gradu popularium, qui extrahendi erant ex vrna diuerſa omninò ab altera primi gradus optimatum. Sed malè coibant malè ſarta Reipublicæ vulnera. Recruduerunt igitur anno MCCCCXXXVII. Eugenio IV. Pontifice, cum *D* Gentilis Petri Antonij Monaldenſis filius, antea dictus della Sala, vrbis regimen vſurpauit, ac vti protector factionis Melcorinæ Vrnam totam eius nominum impleuit ineunte anno MCCCCXL. imminuto numero Conſeruatorum, quos binos tantùm eſſe iuſſit, ſed breue fuit dominium, nam quarto poſt anno, Ciuitas Eccleſiæ, Nicolao V. Pontifice, occaſione cædis Henrici fratris Gentilis, dum hic Vrbe aberat reſtituta, ac proinde anno *E* MCCCCLX. inſtauratus Magiſtratus ſex Conſeruatorum ex auctoritate Pij II., tunc præſentis confirma-

*A* Lib. ref. Ser. Iulian Melchi. d. Anagn. p. 310.

*B* Cecc. lib. 3. p. 114.

*C* Idem lib. 3. p. 114.

Id. ibid.

*D* Idem lib. 3. p. 129. 130.

*E* Idem lib. 4. pag. 147. 148.

tus anno MCCCCLXV. decretum, vt seni optimates, totidem *A* populares essent, ea lege, vt mutuo præcederent iuxta conditiones, & merita familiarium, quæ initio fuerant in sortes coniectæ. Decretum primum vt Illustres constituerentur, & inter eos insignes aliquot Iuris Consulti; secundum, vt nobiles sine titulo, tandem Ciues seruato gradu, & antiquitate stirpium admitterentur. Id cœptum exerceri mense Septembri, & Octobri eius anni, *B* continuatumque deinceps vsque ad annum MCCCCLXXXII. quo numerus sex ad quatuor redactus. Hinc nouæ turbæ exortæ, *C* quòd abundante numero eorum qui erant in secundo gradu necesse fuit eos ad tertium reducere, propterea reditum ad priscum numerum sex conseruatorum *D* anno MCCCCLXXXVIII. seruato graduum ordine, idque obseruatum vsque ad annum MDLIV. cùm redactus est numerus Conseruatorum ad quatuor. Ac vt æqualiter diuiderentur, vt qui primi gradus essent manerent in secundo, & qui secundi in tertio Anno MCCCCLV., quem modum sortiendi Paulus Raynutius, sedandi tumultus causa de mandato Pontificis Vrbeueteri Commissarius institutus approbauit. Verùm non sustulit turbas, imò maiores excitauit: quare anno post MDLVII. reformanda vrna fuit, & proinde ad caput redijt sex Conseruatorum intra ordinem graduum, idque tenuit ad annum MCCCCLXII. cùm tentatum fuit restituere numerum quatuor, ita vt singuli diuiderentur per regiones, sortitò tamen, ea lege, vt singuli præcederent per quindecim dies durante

*A* Ceccarell. lib. 4. pag. 147. 148.

*B* Idem lib. 4. p. 145. 148.

*C* Idem l. 4. p. 148. 151.

*D* Lib. refor. Ser. Iacobi monel. 1488. Cecc. lib. 4. p. 154.

rante bimestri magistratu; sed exarcerbati eo sunt Titulares, & Nobiles, qui apud Pontificem conquesti, effecerunt vt Commissarius super eo mitteretur D. Lucius Saxeus postea Cardinalis, qui sustulit modum sortiendi nouum, reducens illum ad antiquum sex Conseruatorum, seruato ordine, & distinctione graduum. Ita continuatum *A* vsque ad finem anni MDLXIV. quò impetratum fuit mense Decembri diploma à Pio IV. cuius vigore electus est Magistratus vnius Vexillarij, seu Confalonerij ex numero Titularium, & *B* Nobilium, & quatuor Conseruatores iuxta gradus Familiarum, idque inchoatum anno MDLXV. vti scribit Monaldensis in suis Commentarijs hisce verbis. *Iussit Pius finiri sortes singulis lustris, & eligi Confalonerium, & Conseruatores, qui praecederent pro ætate, essentque è Ciuibus, sic tamen vt Confalonerius praecederet Conseruatoribus, ac eligeretur ex numero titularium Comitum Doctorum Capitaneorum, & aliorum Optimatum.* Quod quidem pergit Monaldensis commemorare, sed id nocuit potius, quàm profecit; oportuit quippe interdum eligi in Conseruatorem vnum ex familia nobili cum detrimento dignitatis, & gradus, vel illum præterire dignitate vacuum. Quoquo modo id fuerit, diploma Pij IV. obseruatum fuit, ac etiam nunc obseruatur, quamquam anno MDLXXIII. renouata vrna, quæstio mota est inter Ciues, quibusdam contendentibus, vt inter Conseruatores non haberetur ratio solius ætatis, sed etiam conditionis, & gradus familiarum, & qui pares essent, hi præcederent iuxta tempus ætatis, nihil-

*A* Cecc. lib. 4. p. 198. 199

*B* Monald. lib. 9. p. 188.

A Manen. 1199. l. 2. p. 87. Monal. l. 10. p. 195.

ominus tamen *A* præſcriptum Pij Pontificis receptum eſt à Ciuitate ſumma cum pace propter ſuauem adminiſtrationem Eccleſiæ, quæ tanto felicior fuit ſub dominio Pontificis, quanto antea infelicior fuerat ſub illa fucata libertate, quæ viciſſitudine rerum publicarum turbis, & tumultibus ſe reddit obnoxiam, & ambitioni litat.

B Manen. l. 4. p. 25. Monal. l. 14. p. 130. anni 1421.

Vltra hoſce Magiſtratus, fruebantur Optimates Camerariatu Reipublicę, ideſt Gazophylacio, ſiuè Præfectura communis ærarij, cui præerant iam inde à tempore Martini V., qui Ciuitati reſtituit poteſtatem fabricandi, tùm quo ad munus publicè ædificandi, tum quò ad ſpeciale Xenodochij S. Mariæ à Stella nuncupati. Itaque Anno MCCCCXXI *B* ſanxit Conſilium delegationem oneris annui vni nobili cum adminiſtratione fabricę, qui Supraſtantis nomine præeſſet, & alteri præfecturam Xenodochij cum titulo Rectoris, quæ duo munia in vſu fuerunt cùm Ciuitas proprio arbitrio regebatur. Siquidem initio fabricę S. Marię anno MCCCLXIV. deſignatus *C* fuit Pręfectus Monaldus Ciuis Beltrami Monaldenſis filius, & cum iacta ſunt fundamenta à Nicolao IV. electus fuit Pręfectus Conradus Ermanus eiuſdem Ciuis filius, & poſtea alteri Nobiles Primates vrbis, inter quos fuere plerique à Theodorico deſcendentes, quorum ſeriem commodùm deducemus.

C Ceccarel. l. 2. p. 28. anni 1290.

D Manen. 1256. l. 2. p. 121. & 1248. p. 113.

Theodoricus *D* filius Iacobi Poteſtatis ille quidem eſt, quem Teobaldum, falsò tamen, dicit priſcus hiſtoricus laudatus à Manenti, & Monaldenſi, ſiquidem in illa ſerie *E* annorum non nume-

E Monal. 1256. 12. 48. lib. 10. p. 93. a t.

me-

merantur alij filij Petri, & Octauiani, quàm Potestas, & Capitaneus, cùm constet Teodoricum, & Iacobum, eos honores gessisse, vti habetur ex arbore Genealogica: ex quà item liquet eumdem Theodoricum iam tùm Vrbemueterem habitasse, & apparet in vetusta inscriptione Gothicis litteris vncialibus exarata in fronte pergulæ Ecclesiæ S. Georgij Martyris in fundo familiæ tuæ Phœbeæ, quorum maior natu, idest Io. Paulus Archipresbyter illius Cathedralis eò me visendi gratia deduxit, quæ inscriptio, & si temporis iniuria exesa sit extant in ea tamen hæ lineæ. *Theodoricus Fabeus, & Gentilina Monaldensis vxor, anno MCCLXII.* quæ quidem Ecclesia, vel ex integra, vel maximam partem videtur esse constructa à Theodorico supra rudera prisci templi vicini monasterio S. Georgij, cuius *A* meminit S. Gregorius Magnus. nec verò illa est, vt vulgò creditur, quæ sita erat inter Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, & Deiparam S. Laurentij *B* apud S. Gorium siue Georgium, siquidem ibi non fuit instaurata Ecclesia, & Monasterium S. Georgij, sed S. Gregorij, quæ ædificia erecta, & fabricata sunt à Gregorio VII. Papa anno M.CLXXXIII. in memoriam S. Gregorij, sui cognominis. Auctore Manenti, *C* cuius hæc sunt verba: *Gregorius VII. ornauit Vrbemueterem insigni Monasterio sui nominis, idest S. Gregorij, non autem Georgij.* Constat verò eò tempore vixisse Theodoricum ex Poemate *D* Romæ edito anno MDCXXVI., opera hæredum Zannetti, quod est huiusmodi.

A S. Greg. Mag. regest. Epistol. l. 1. ind 9. ep. 11.

B Monald. l. 11. p. 100. 1145.

C Manen. 1081. p. 30.

D Bottifang in poem. Sanct. Corp. cant. 14 octau. 1. p. 189.

*Poi ch' hebbe Vrbano il susseguente giorno*
*Con parco cibo il debil sen placato,*
*A' Santi piè, col fasto vsato intorno*
*S'atterra humil l'altero Maestrato*
*Di fiorito drappel superbo adorno,*
*De' più pregiati del souran Senato,*
*Frà quai più d'altro, d'anni, e gradi onusto*
*Febeo sì disse in bel sembiante augusto.*

Idest latinè

*Proxima iamque dies medium peruenerat orbem,*
*Vrbano modicoque cibo, potuque refecto,*
*Mos vt erat, parco, cum nobile cernitur agmen*
*Vndique collectum properare, insignibus Vrbis*
*Ac proprijs fulgens de more afferre parabat*
*Oscula sancta pedum; stant lumina clara Senatus,*
*Atque Magistratus opulenta in veste micantes:*
*Quos inter canis, & honoribus auctior extat*
*Fœbeus specie augusta, facieque micanti.*

A S. Anton hist. tit. 4. c. 1. § 1. Cecc. 1264 l. 2 p. 28. Raynal. annal. tom. 14. 1264. num. 26. 27.

B Bullar Rom. tom. 1. Vrb. IV. const. Sanctiss. pag. 118. Cecc. l. 2. p. 28.

Vrbem tum veterem incolebat Vrbanus IV. de quo canit Poeta, causa miraculi Sanctissimæ Eucharistiæ patrati ad S. Christinæ Vulsinij Anno MCCLXIV., quod fuit origo celeberrimæ annuæ pompæ, quæ habetur die Corporis *B* Christi, vti tradunt S. Antoninus, Ceccarellus, & Raynaldus in annalibus, vbi ponitur constitutio. *Transiturus B de hoc mundo*, quo fermè tempore promota, non tamen absoluta fabrica Ecclesiæ S. Dominici expensis Monaldensium, inter quos Theodoricus censebatur, in ea quippe Sarcophagum sibi, & posteris posuit, & frontem si minus fabricauit, certè oculum, siue fenestram ocularem sumptibus suis aperuit, ab hinc annis decem demolitum, quòd ruinam minabatur

tur, quemadmodum graues ſenes, Religioſique mihi confirmarunt, aſſerentes extare in ea feneſtra orbiculari ex marmorato candidiſſimo Stemma Phœbeum, cum characteribus eiuſdem notę ac illi qui in Sarcophago ſunt inciſi, idque ego meis oculis vidi, cum eò me tranſtuliſſem, quod ipſum Stemma cum *Apice* Gothicis expreſſum notis viſitur etiam in dextero latere eiuſdem Eccleſiæ S. Dominici. Quoquo modo iſta ſe habeant, conſtat Theodoricum externus cùm eſſet, non potuiſſe non eſſe Nobiliſſimum, quando cum Familia Monaldenſi, & alijs primarijs eius Vrbis affinitatem contraxit. quam ſanguinis claritudinem in primis teſtantur honores Capitanei, & Poteſtatis quos geſſit idem ipſe Theodoricus, & Iacobus *A* eiuſdem frater, quique, auctore Manenti, decreto publici conſilij, ſolis perſonis illuſtribus tùm indigenis, tùm inquilinis conferri poterant. Addit Monaldenſis, tanti eos Magiſtratus fuiſſe, vt ambirentur à Principibus totius Italię Viris, qui ſe ijs ornari exiſtimabant: cuiuſmodi fuerunt Tibaldus Pręfectus Vici, Pepo Farneſius, Pandulfus, & Ioannes Sabelli, Napoleo, Bertoldus, Gentilis, & Carolus Vrſini, S. Bonauentura *B* iam Cardinalis, Viſcardus Vgolini à Prouincia, nepos Caroli Regis, Ioannes, Iacobus, Stephanus Columnenſes, Comes Pandulphus Anguillaræ, Adinolfus, & Petrus Caietani, & Duces Fafuccius, Guido Ranierij, Robertus Medices, Comes Aldobrandinus, Guilielmus à S. Flora, Napoleo, Bertoldus, Mathęus Vrſini, Raynutius Farneſius, & Comes à Soanna, & Io. Sabelli. Inter hos igitur Principes familiæ numeratur Phœbeus iam

*A* Manen. 1199. l. 2. p. 87. Monal. l. 10. p. 92. 93. 94. 95.

*B* Manen tit. 1. l. 2. p. 8. ad 258

tùm à Theodorico,& fratre ijs honoribus obtentis. Hic est ille Theodoricus, qui Capitaneus extitit Vrbeuetanæ Reip. vti constat ex tractatu Genealogico Anni MCCLVI. missus quippe fuit Anno MCCLXI. publico nomine, cum turma equitum Dux Subsidiarius Florentinis, qui Gibellinos vrbe expulerant, quemadmodum narrat Patritius de Rubeis *A* in sua de direptione Vrbis Romæ historia par. 2. cui inserit narrationem de vicissitudine regiminis Florent. Reipublicæ, quam scripserat Franciscus Patritius Fr. Nicolai de Rubeis Cardinalis, vbi sic *Ciues communi nomine miserunt legatos Vrbem veterem pro suppetijs, & in primis petierunt duos optimates, alterum in Potestatem Ciuitatis, alterum in Ducem belli; missi sunt centum equites cum Ermanno Monaldo Potestate, & Phæbeo Nobili Duce*. Hic inquam Phœbeus fuit Theodoricus, a quo anno MCCLXII. ædificari cæpit Ecclesia S. Georgij prope Vrbem, & a quo anno MCCLIV., Vrbanus IV. publico nomine exceptus. Ab eodem, quemadmodum constat ex libris, *B* quos vocant Reformanze, & ex tribus alijs Camerariatus, & publicis tabularij instrumentis descenderunt duo Blasij, & duo Iacobi, non enim fuit vnus tantum Blasius, & vnus Iacobus, vt existimat Castelmagius, quoniam Iacobi Potestatis germanus Fr. Theodoricus Capitaneus filius Petri ab Octauiano geniti Blasium genuit alterius Iacobi Parentem, à quo Bartholomæus, & secundus Blasius procreati fuerunt, quem constat ex vetustis, ac publicis administrationum tabulis anno 1285. fuisse Gentilis Vrsini Nepotis Nicolai III. Summi Pontificis Potestatis Vrbis veteris Assessorem, & An-

*A* Patrit. de rub. hist. de dirept. Vrb Romæ part. 2.

*B* Lib. reformat. & Camerriat. an. 1285. 1288

no 1288. ad Vrbem oratorem à Publico Ciuitatis delegatum, quare genealogia ita à summo ad imum videtur deducenda.

1 Octauianus ex antiqua genealogica familiæ arbore, atque ex Manenti, & Monaldensi apparet Auus Theodorici, & Iacobi, Pater Petri.

2 Petrus ex eorumdem Testimonio fuit Octauiani filius Pater Theodorici, & Iacobi.

3 Theodoricus germanus Fr. Iacobi Potestatis, is est, quem Capitaneum publici, Vrbisueteris ducem subsidiarium Florentinorum, & Magistratus Principem Vrbano IV. Pontifice prælibauimus ex Gentilina Monaldensi Genitor Blasij.

4 Blasius Theodorici filius ex antiqua arbore, atque ex publicis administrationibus æris publici ostenditur Pater secundi Iacobi.

5 Iacobus Blasij filius, Fr. Bartholomæi, & secundi Blasij Pater, ex præfatis testimonijs euincitur.

6 Blasius Theodorici Vxorem duxit *A* Sulpitiam Neri è Græca familia prisca, & primaria Vrbis, ac de numero Consularium, atque adeo à regimine exclusarum in Concilio congregato die 8. Febr. anno MCCXXII. quin & Neris fuerat Capitaneus Ciuitatis; ex hoc matrimonio Blasij, & Sulpitiæ, nati Petrus, & Angelus dictus Angeluccius, & Tutius.

*A* Lib. istrom. Ser. restaur.. 15. Nouembr. 1307. Cecc. l 2. p 47. Monald. l. 9. ann. 1283. 1284.

Petrus Blasij filius Fr. Angeluccij extat insertus in vetusta arbore Genealogica coniux Bindæ à Baschi, Paulus ab eo genitus adijcitur.

Paulus filius Petri duxit *B* Lauram Vgolini Comitis Montis martis. Testatur id instrumentum dotale, quod extat apud Io. Baptistam

*B* Lib instr. Ser. Nanne de Pitigl. an. 1354.

Magrini, cuius exemplum exhibitum mihi fuit ab Equite Hectore Montis martis, etsi in antiqua arbore genealogica nullum eius rei indicium sit, ex ea tamen constat Angelum, & Thomam dictum Thomasutium fuisse filios Angelucij fratris Petri appellatos ab Angeluccio Domini Blasij, siue Tuccij à Meo, cuius rei testimonium reddunt tabulæ reformatæ, & alia instrumenta Cartophylacij publici.

7 Angelus dicti Angeluccij, vel Tuccij à Meo Frat. Minoris Aui, cuius à Meo ipse Angelus, & Thomas Fr. vti dictum est, apparent scripti heredes, habuit *A* vxores duas, prima fuit Victoria Domini Iacobi à Leonardo, cuius agnatio dicta tùm Mancini, postea cognominata est Lactantij; ex hac suscepit Seraphinum, & Coronnam, quæ nupsit Vgolino Iusti a Varne Massei Monaldi, qui Anno MCCCCXXXII. gessit Capitaneatum inter Camertes, fuitque vnus ex relegatis factionis Muffatæ à Cardinale S. Eustachij Vicario Ioannis XIII., altera fuit Cæcilia *B* Bartholomæi Georgij à Bisenzo, quæ stirps prisca est in Etruria, & inter primarias memoratur à Ceccarello, quà cùm Monaldenses necessitudinem contraxerunt. Hic verò Angelus vnus fuit è septem Dominis præsidentibus, Magistratus, & Camerarius fabricæ S. Mariæ, & primus Conseruator, quæ proxima septem Dominis dignitas erat: apparuit autem ex mutuis pecunijs priuatis ab eodem acceptis Reipublicæ nomine fuisse eum copiosissimum, & splendidissimum Ciuem, suscepit filium ex vxore Cecilia à Bisenzo Michaelem Angelum. Thomas *C* F. Iacobi ex Patre Angelo fuit vnus ex numero

*A* Ex instr. rog. per Simeonem Cecc. & simili rog per Gasparem Biasiolum anno 1460 existen. in Archiu. Vrbis veteris.

*B* Art. Ser. Cinal. car. 21. Monal. l. 14. p. 128. lib. instr. ser lucio lario 7. Maij 1406. Cecc. l. 1. p. 10. lib. rif. 1376. 1389. lib. rif. 1394. 1407. lib. rif. 1398 1490. allibrat. 1389. 1390.

*C* Lib. rif. 1387. lib. rif. 1393. 1398. 1408. lib. rif. 1420.

ſeptem Dominorum , Camerarius fabricæ S. Mariæ, genitor Petri, qui iuramentum fidelitatis præſtitit Pontifici Martino V. Idem Camerarius fuit fabricæ, Vxorem Angelinam Catalani Petri Monaldenſis filiam accepit. Deceſſit nulla prole relicta.

8 Seraphinus Angeli dictus *A* Angeli Angelucij, ſiue Tutij à Meo Duci Braccio Montano, obnoxium ſe, & Martino Papæ V. fecit, vt compertum habetur formula hac. *Seraphinus Angelus de Phœbtis. Hic collatis B in Rempublicam pecunijs claruit, & honoris cauſa ſpectabilis vir*, inſcribi in publicis tabulis ſolet, alias Pater Patriæ dictus. Duxit in Matrimonium Girondam Lamberti Petri ab Vgolino, quorum mentionem facit Monaldenſis, hodieque appellantur nobiles, è quorum ſtirpe fuit Cardinalis huius nominis, & qui in viuis eſt Marchio Vincentius. Ex ea ſuſtulit Angelum Octauianum, Petrum Paulum. Huius Seraphini Frater extitit ex patre tantùm Angelus vocatus Angeli Tuccij à Meo, ſiue Seraphini fratris natu maioris, idque apparet ex inſtrumento ceſſionis factæ Cherubino filio a Patribus Dominicanis, in qua expreſsè habetur *Cherubinus Michaelis Angeli Seraphini*, Michael verò *C* Angelus Conſeruatoris nomine, fabricam murorum *D* Vrbis curauit, & Comitatus, Confalonerius, *E* ſeu Vexillarius regionis Poſterulæ. Ex Vxore *F* Feliciana, nati ſunt ei liberi Cherubinus, Felix, Dominicus. Cherubinus primus conſeruator, *G* & Rector fuit Noſocomij. Eius Coniux *H* Pandulfa Claraualleniſis Tudertina, quæ familia inter nobiliſſimas ponitur a Ceccarello, vtpotè quam Monaldenſes

*A* Lib. iſtr. Ser. Filippo de ſing. 15. ſept. 1436.

*B* Lib. rif. 1419. lib. rif. 1420. lib. rif. 5. Nouemb. 1438. Monald. Commentar. lib. 3. p. 122. 1394.

*C* Lib. inſtr. Ser. Naſil. Ronſen. 11. Octo. 1437.

*D* Lib. rif. 1451. 1460. 1468. 1474.

*E* Lib. rif. 1461.

*F* Lib rif. 1462.

*G* Lib rif. 1487. 1495. 1502.

*H* Lib. rif. 1504.

ſibi adſciuerunt. Ex eo matrimonio habuit Orſellam, quæ nupſit *A* Tradito Marabottino, & Bartholomęum Confalonerium Regionis S. Iuuenalis, & *B* Conſeruatorem. Ex altera Coniuge *C* Lucretia Ioannis Franciſci Benincaſiæ Nobilis, & antiquæ proſapiæ ex materno ſanguine Monaldenſis filia Franciſci Monaldenſis ſuſcepit Petrum coniugem *D* Septimię Gieroniæ Marabottinæ, quæ ei peperit Bartholomęum, Leandrum, & Sulpitiam nuptam Finauro Palatij, & Lauram Monacham in S. Pauli, quæ ſcribitur hæres prædictorum fratrum. Fuit alter Fr. Cherubini filius Michaelis Angeli, filius Camerarius *E* fabricæ, ſecundus Conſeruator, *F* ac huius Felicis filius fuit ſecundus Thomas Conſeruator *G* ſecundi loci, quem locum, & ſi à maioribus pro eodem haberetur ac primus, nam etiam tertius nobilium erat, tamen quia primus erat proprius Dominorum, & titulatorum, ſecundus, & tertius nobilium ante tres alios Ciuium, eum ſortitus, ceu inferiorem recuſauit: quemadmodum fecit Felix eius filius, renunciando loco ſecundo; qui Felix genuit Angelum Ducem in Gallia aduerſus Vgonottos ſub ſignis Veſpaſiani Marabottini Polemarchi, ei verò Angelo Aureliæ Hieronymi Magalotti filius fuit Marius, qui Victoriam Baptiſtæ Saracinelli in matrimonium duxit.

Tertius filius Michaelis Angeli *H*, numeratur Dominicus Conſeruator primus, & vnus nobilium electorum pro executione Bullę Pontificiæ latæ ſuper ſolutione Cameræ Apoſtolicæ, idem Præfectus extitit Camerę Pontis *I* Iulij S. Marię Fabricæ Camerarius, & Noſocomij Rector. *K L*

A Ceccar. l. 3. p. 4
B Lib. rif. 1533.
C Lib. rif. 1542.
D Ceccarel. l. 4 p. 138.
E Lib. rif. 1483. 1489.
F Lib. rif. 1478. 1512.
G Lib. rif. 1528. 1540. 1541.

A Lib. rif. 1494. 1500. 1502. 1507.
Lib. rif. 1494. 1500. 1502. 1507.
B Lib. rif. 7 Martij 1507.
C Lib. rif. 1505. 1506.
D Lib. rif. 1515. 1518. lib. rif. 1503.

Duas

Duas Vxores habuit. Primam Franciſcam *A* Lactantij de Lactantijs, ex quà ſuſcepit Franciſcum, Angelum, Nicolaum, & Gabrielem, alteram Dominicam Sigiſmundi, Nicolai Iacobi Saracinelli. Franciſcus primus filius Dominici, functus eſt munere Camerarij, *B* & Conſeruatoris *C* Matrimonium contraxit cum Franciſca Paganini *D* Marabottini, ex quà ſuſtulit Dominicum, & Vincentiam coniugem Hieronymi Magonij, Clariſſimi IC. Compilatoris Deciſionum Rotæ Florentinæ, & Lucenſis. Dominico verò eius fratri nupſit Geneura Simoncelli, quæ illum *E* auxit, Franciſco, Hieronymo, & Fuluia, quæ fuit Vxor Vincentij Phœbei, Liuia Equitis Curtij Magalotti, & Cintia Curtij Saracinelli Vxore.

Franciſcus prædicti Dominici Vxorem duxit Roſanam Iulij Adueduti, ex qua genuit Victoriam, quæ fuit coniux Hieronymi Polydori.

Primi Dominici Michaelis *F* Angeli natu ſecundus Angelus filius fuit, idemque fabricæ Camerarius, & ſecundus Conſeruator, *G* numeratus inter eos Nobiles, qui Romæ *H* defenderunt cauſam communem Ciuitatis in lite Caſtellorum montanorum, & inter Conſiliarios *I* deputatos correctioni Statutorum pro fabrica S. Mariæ. Habuit in matrimonio Hieronymam *O* Franciſchini Mariani Saracinelli, ex quà ſuſcepit Petrum Nicolaum *K*, & Bernardinam, quæ nupſit Pompeio Marij Alberici, Fauſtinam, *L* & Pepam Saracinelli. Petrus Angeli duxit Vxorem Iuliam Lemni Marabottini, quę deceſſit ſine prole, & Nicolaus eius Fr. coniugem habuit Lauram *M* Gianotti Simonelli. Fuit Conſeruator, *N* &

*A* Inter Ser. Prop. Ant. nub. l. 14. Martij 1531.

*B* Lib rif. 29 Decemb 1638.

*C* Lib. rif. 1555.

*D* Lib. inſtr. Ser. Patric. Rayn. 15. April. 1558

*E* Lib. inſtr Ser. Ioan Belan. timei 20. Iun. 1545.

*F* Lib rif. 1530. 1531.

*G* Lib. rif. 1523. 1524 1530. 1539.

*H* Lib. rif. 17. April. 1524. Lib. rif. 2514.

*I* Lib. rif. 21. Decemb. 1530.

*K* Lib. inſtr. Ser. Criſtoph. 1529 fol. 438.

*L* Lib. inſtr. Ser. Io: Baptiſtam Timei 15. Feb. 1545.

*M* Lib. inſt. Ser. Angeli Paganelli 1566.

*N* Lib. rif. 1521. 1539.

vnus nobilium quindecim, qui electi sunt ad redigendam in ditionem Ciuitatis Vrbeuetanæ Ciuitellam Agliani. Ex Laura *A* nati sunt Angelus, & Hortensia secunda coniux Capitanei Sforzæ Maidalchini, Patris Marchionis Andreæ, Aui Cardinalis eius nominis, & Cælia collocata Duranti Durantij nepoti Episcopi Vrbeuetani, & post eum Hectori Montis martis Comiti Titignani. *B*

*A* Lib. rif. 1500. fol. 146.

*B* Lib. inst. Ser. Dominic. Fabrini 19 Septemb. 1578.

*C* Lib. instr. Ser. Dominic. Lucr 25. Nouembr. 1589.

Angelus Nicolai Confalonerium *C* egit: vxorem duxit Faustinam *D* Iacobi Phæbei, ex qua Hieronymum, qui Confalonerius item fuit, filium habuit, Huic nupsit Rosana *E* Ludouici Micinelli, quæ peperit Angelum nunc viuentem. Quartus filius Dominici Michaelis Angeli fuit Gabriel, qui procreauit Paulum Petrum, & Siluium, qui duo Capitanei fuerunt. Paulus Petrus, ex Angela Vrsina Vaschiensi coniuge suscepit Cassandram, quæ locata fuit Almonti Ioannis Bernardini Atti è Nobili stirpe Tuderti inter primarias numerata, cuius affinitate, gauisi sunt Monaldenses, *F* & Gabrielem, qui genuit Catherinam Vxorem Sinibaldi Sinibaldi Nobilis Romani, ex quà item stirpe exijt Petrus Potestas Ciuitatis Anno MCCXXX., & MCCXXXIX. *G*

*D* Lib. Bossolus Nouem. 1613.

*E* Lib. instr. Ser. Bar ol. Sannit. 17. Iul. 1637. 30. Iul. 1639.

*F* Eccl. l. 1. p. 10.

*G* Monald. l. 8 p. 93. Manent. an. 1230. p. 108. 1239. p. 111.

Siluius item Capitaneus, fuit destinatus Confalonerius inter eos, quos instituit Pius IV. anno MDLXIII. & sortitus illud munus MDLXVI. Duas habuit Vxores, *H* primam Aureliam Cherubini Marabottini, ex qua sustulit Paulum Petrum; secundam Calfurniam Particappam Nobilem Romanam, quæ Marij Mater fuit.

*H* lib. Bossol. 18. Augusti 1566. 1576. 1583.

Paulus Petrus duxit turmam equitum expedito-

ditorum, cùm Papa Clemens VIII. Ferrariam postliminiò occupandam contendit. Hoc munus Ducis Foris, Domi Confalonerium *A* egit. Habuit coniugem Lauiniam Iosephi Guidonij ex Illustri, & Prisca Prosapia, quæ ei Marium creauit, postea ornatum Confalonerij *B* dignitate, qui hodie in viuis est.

9. Petrus Paulus Seraphini, vltra Camerariati *C* officium in Regione Posterulæ, munus gessit Pacieri, *D* & primi Conseruatoris, *E* cuius Magistratus, *F* tanta id temporis claritas erat, vt auctore Monaldensi *G* sortiti eum fuerint ex familia Monaldensi Laurentius da Pier, Vincentius Canis Melontæ, Nicolaus Pompeij à Balneo, Lucas Gentilis à Ceruara, Cæsar Neronis Canis, Paulus Petrus Berardi à Ceruara, Antonius di Pier, Vincentius Canis, Camillus Lucæ, Tertius à Ceruara, Hector Io: Pauli à Lubriano, & in inscriptione apparet *H Petrus Paulus Nobilis vir*, Petrus Paulus Seraphini: designauit eum Ciuitas inter eos Nobiles, quibus demandata est cura annonæ, cùm Pius II. in Vrbem venit. In Matrimonium duxit Aemiliam Vgolini *I* Bonuccij ex antiquo Principatu S. Cassiani, quæ illum auxit duobus filijs Petro, & Theodorico; obijt Anno MCCCCLXII.

Fr. huius Petri Pauli, fuit Octauianus Camerarius fabricæ. *K* Primus Consiliarius. *L* Rector Nosocomij publici, *M* à quo procreati sunt Talianus, Piera, Vincentius, & Pacificus Camerarius fabricæ S. Mariæ, *N* eidemque Præfectus, & secundus Conseruator. *O* Rector Nosocomij, *P* & Potestas *Q* Montis Falerij, qui, dum obiret munus, in depopulatione eiusdem Vrbis, quam

*A* lib. Bossol. 1566. 1576. 1585.
*B* lib. Bossol. 1648. 1655.
*C* lib. rif. 1450.
*D* lib. rif. 1462.
*E* lib. rif. 1460.
*F* lib. rif. 1450. 1456.
*G* lib. 5. p. 183.
*H* lib. rif. ser. Agab. Canc. Commen. 1552.
*I* lib. rif. 10. Sept. 1460. fol. 226. 277.
*K* lib. rif. 1446.
*L* lib. rif. 28. Octob. 1451. 1468. 1473.
*M* lib. rif. 1465.
*N* lib. rif. 25. Iun. 1508.
*O* lib. rif. 1499.
*P* lib. rif. 1494. 1502. 1511.
*Q* lib. rif. 1501. 1502. 1510.

quam Heluetij anno MDIII. diripuerunt, reliqui filium Ginesium. Vincentius verò Octauiani, primus Potestas Ficullis, post transactionem factam inter Statum Vrbeuetanum, & Ficullium opere, & sententia Cardinalis S. Marci Patriarchæ Aquileiæ depositi, propterea à Sisto IV. id ægrè ferente electus: idem Vincentius fuit Camerarius *A* fabricæ, primus, *B* & secundus Conseruator, *C* Orator ad Alexandrum VI. cùm Rex Gallorum Carolus VIII. in Italiam venit, vnus item eorum, qui pro *D* reformatione Statutorum municipalium Vrbis Veteris designati fuerunt, vt legitur in proœmio libri Typis mandato. *E* Filios habuit ex Biancifiore Iannuzia, Vincentium, & Seraphinum, Finum vocatum, Cæsarem, & Octauianum, Astorem, Politicam nuptam Fabiano Aurelio, & Gironnam coniugem Alexandri Palatij, mox Guidonis Guidonij. A Seraphino genita Bianciflora, à Cæsare Aurelia, nupta postea Bonauenturæ Vaschiensi: ex Octauiano, & Iacomina Mislina vxore natui Paulus, qui de Lauinia Sensata genuit Bianciflorem, locatam Modesto Mancino. *F*

Octauianus alterum Vincentium filium habuit Confalonerium Regionis *G* S. Pacis sic appellatur caput Regionis ante Diploma Pij IV. post illud Confalonerium egit, caput *H* Magistratus, & Rectorem publici Xenodochij. *I* Is ex Victoria genuit Lucianum, & Franciscum, qui ex Catharina Phœbea, Vincentium procreauit patrem Francisci, coniugis Hyppolitæ de Albericis, à qua nati sunt Paulus Antonius, Octauianus, Vincentius, & Hieronyma.

10. Theodoricus Petri Pauli Seraphini, Camera-

*A* lib. rif. 1478.
*B* lib. rif. 1495. 1496.
*C* Ibid.
*D* Ibid. 1495.
*E* Ibid. 1493.
*F* lib. instr. 1500.
*G* lib. rif. 1533.
*H* lib. Bossol. 27. Ian. 1569.
*I* lib. rif. 1533. 1575.

merariatum fabricæ gessit, *A* Conseruator *B* secundus. Exprimitur hoc modo Spectabilis Vir Theodoricus Phœbeus. Præterea Consiliarius, & *C* Orator ad Pontificem Alexandrum VI. & Carolum VIII. *D* Regem Galliæ, & ad Cæsarem *E* Borgiam Ducem Valentinum, Ecclesiæ Polemarchum, eiusdem Alexandri VI. filium. Duxit *F* in matrimonium Gentilescam Ludouici Baldansæ, *G* quæ Familia censetur inter Nobiles Vrbeuetanas. *H* Hæc ei peperit Thomam, Ludouicum, Georgium, Iacobam Vxorem Pier Vincentij Palazzi, & Orsellam Vxorem Iacobi Buccij Missini, decessit 21. Iulij anno MDIV.

Huius Theodorici fr. fuit, qui vocari solet Petrus Theodorici maior natù: egit Conseruatorem, *I* Pacierem, Oratorem *K* ad Pontificem, tùm Clementem VII. inuenitur descriptus inter Authores Sodalitatis S. Hieronymi. Vxorem duxit *L* Hieronymam Oddi ab Oddis stirpis Nobilis Perusinæ, quæ nupta fuit primùm Franciſco Raineri ex Dominis Baschi, ex qua ei nati sunt Io. Paulus, Appollonius, & Liuia Vxor Capitanei Nencij Saracinelli. Apollonius Conseruator ex Angela *M* Hieronymi Partialeschi, habuit Vincentium, Ianum, Pompilium, Ioannem Paulum, Iacobum, & Hyppolitam, quæ nupsit Seuerino Missino Seniori.

Vincentius Apollonij, Camerarius, *N* Confalonerius, ex Hieronyma Bisenzi *O* sustulit Angelum, qui ex Fuluia Dominici Phœbei creauit alterum Vincentium Confalonerium, *P* Camerarium fabricæ, Rectorem Nosocomij, *Q* ex quo, & ex Artemia Iosephi Micinelli, natus est Io. Baptista Vincentius, qui mortuo Comite Castel-

*A* lib. rif. 1471. 1503.
*B* lib. rif. 1478. 1495.
*C* lib. rif. 1501.
*D* lib. rif. 1493. 1500. 1501. 1507.
*E* lib. rif. 1495.
*F* lib. rif. 15[illegible]. 1503.
*G* lib. instr. Ser. Bentiuog. 1504.
*H* Cipr. Man. lib 4. p. 3. 1401.
*I* lib. rif. 1493. 1509. 1512. 1514. 1521. 1523. 1528. 1530. 1576.
*K* lib. rif. 1508.
*L* lib. contr. 1510.
*M* lib. rif. 1593.
*N* lib. rif. 1543.
*O* lib. rif. 1564.
*P* lib. Bossol. 1627. 1633.
*Q* lib. rif. 1639. 1640.

A lib. Boſſol. 1667. magio Auctore, Conſalonerij munus geſſit. A Ianus Apollonij, Conſalonerius fuit, & ſine liberis B deceſſit.

B lib. Boſſol. 1578. 1588. 11 Ludouicus Theodorici habuit in matrimonio Domiliam Ceccarelli Cartari, ex qua ſuſcepit Phœbeum, Stephanum, Franciſcum, & Baldanzam, primi Conſeruatoris munus geſſit ante Bullam Pij IV. & recenſitus inter Nobiles Depoſitarios Montis Chriſti. C Phœbeo obtigit Camerariatus D fabricæ. Eius Coniux E fuit Lucretia Vincentij Pillei à Gulielmeſchi, ex qua procreauit Domiliam breui extinctam, Stephanus Conſalonerius F fuit, cui Argea Senſati Senſati peperit Pompeium, qui Barbaram Gabrielis Phœbei Vxorem habuit, ex qua genuit Stephanum celebrem Iuriſconſultum, & Phœbeum, quem Fuluia Vincentij Phœbei auxit filijs Stephano, & Antonio, qui hodie infantes ſunt.

C lib. riſ. 1551. 1555.

D lib. riſ. 1592.

E lib. riſ. 1560

F lib. riſ. 1569.

12 Franciſcus Ludouici Vxorem habuit Cæciliam Io. Pauli Phœbei Sororem vterinam Giolini Cartari Senatoris Romani, Patris Caroli Aduocati Conſiſtorialis, ex qua ſuſtulit Baldanzam, Theodoricum, Dominicum, qui Presbyter eſt mortuus, Petrum Paulum, Ioſephum, & alterum Baldanzam, qui acerba ſunt morte perempti. Franciſcus, G celebris Noſocomij Rector extitit.

G lib. riſ. 1561. 1592.

13 Petrus Paulus Franciſci, Coniux fuit Lucretiæ Io. Baptiſtæ Longonis ex illuſtri Proſapia Comenſi, qui diù habitauit Brixiæ, & cauſa patrati homicidij, Petilianum in Hetruria ſe tranſtulit, ex ea nati ſunt ei liberi Io. Paulus, Carolus, Franciſcus Maria, Io. Baptiſta, Domini-

minicus, Catharina, Sulpitia, & Virginia. Fuit Auditor generalis Bononiæ Cardinalis Legati Bernardini Spadæ, vnde Romam vocatus ab Vrbano VIII. Pontifice tantum sui desiderium Bononiæ reliquit, ob raras animi dotes, celsam indolem, acre ingenium, maturumque iudicium, & felicem sui muneris administrationem, vt Academici eius Vrbis, omnium scientiarum Matris, & omnium doctrinarum Palæstræ discedentem illum, multis sint Poematijs, ac Elogijs prosequuti, quorum nonnulla, hodieque extant, Typis mandata Bononiæ à Bonaccio anno MDCXXIX. Eorum aliquod specimen operæpretium erit exhibere.

*Frena Felsina il pianto,*
*Ch'à le tue giuste voglie*
*Fia pronto il tuo Febei, nè ti si toglie;*
*Ben da tè si dilunga,*
*Mà di sua sfera à l'alto grado s'erge,*
*Onde d'almi fauori*
*A tua Magion, più caldi influssi aggiunga;*
*Già rauuiuando i cuori,*
*Così tù'l sai, più suole*
*Quanto è sublime più scaldare il Sole.*
*Vanne pur nuouo Febo*
*Ad albergar frà più felici Muse,*
*Che se fù Roma antico*
*Di Muse albergo, e nel suo sen le Chiaui*
*Merito di Parnaso il Nume antico:*
*Hor con felice sorte*
*A nuouo, e maggior Febo apre le porte,*
*Talche nel suo contento, e nel suo riso*
*Non è Parnaso più, mà Paradiso.*

Hoc

Hoc est Latinè

*Desine mœroris pia Felsina, desine fletus;*
*Quamquam etenim tuus ille, tuis decedit aboris*
*Phœbeus, non ille tamen te deserit, immo*
*Altius euehitur, maiori luce beabit,*
*Felsina te, Ciuesque tuos, tibi largiùs inde*
*Diuidet influxus, ardoribus addet amorem,*
*Scis etenim Solem feruentius vrere, celso*
*Cùm ciet axe rotas, radiosque immittat ab alto.*
*I Phœbee, nouos splendoribus adde nitores,*
*Inter & Vrbanos Sedem tibi quare penates,*
*Est Romæ te digna domus, tibi carmina Musæ*
*Parnasso meliore canent, quas Numen amicum*
*Sedibus exciuit Patrÿs, meliusque locauit*
*Expansos vbi Roma sinus, & aperta tenebat*
*Brachia, nunc eadem Phœbeo in corde recepto,*
*Ceu Phœbo meliore hilaris se iactat, & Astris*
*Par caput attollit, Parnassum irridet, & vndas*
*Castalias, habitat media Paradisus in Vrbe.*

Alterum esto Epigramma.

*EXhilarat Cœli lampas clarissima Mundum,*
*Phœbeumque iubar gaudia mille refert:*
*Quòd si fortè fugit, gratissima lumina condit,*
*Hei mihi languescunt omnia, mœsta iacent.*
*Tu Phœbee tuum, dum subtrahis ore nitorem,*
*Nostro, heu quas lachrymas Felsina clara iacit.*
*At Petre Paule, Petrum magna si ponis in Vrbe,*
*Fac Paulus nostris hæreat vsque plagis.*
*Etsi Romuleis persistes corpore terris*
*Mens tua Felsineo viuat, ouetque solo.*

Petrus Paulus, defuncta Vxore Lucretia, vitæ institutum mutauit, & ab Vrbano VIII. Cubicularius honorarius, & Sancti Officij Romani

As-

Aſſeſſor *A* creatus fuit, poſtea Epiſcopus Balneoregij conſecratus. *B* Obijt 3. Auguſti anni MDC L., humatus in ea Eccleſia Cathedrali in eodem, quod ſibi aperuerat, cùm in viuis eſſet, Sarcophago, propè Aram Maximam pro ſe, & ſucceſſoribus Epiſcopis conſtituto, erecto iam antea in ea Vrbe Seminario, ſiue Collegio Scholaſticorum, & Gynæceo puellarum orbarum. Ex liberis, Sulpitia in Monaſterio deceſſit, in quo educationis cauſa collocata fuerat, quod à S. Ludouico dicitur. Catharina infans erepta eſt. Virginia nupſit Octauiano Simoncelli Comiti Caſtelli S. Petri, Pronepoti Papæ Iulij III. Io. Paulus Archipresbyterum agit in ea Eccleſia *C* Cathedrali. Carolus gubernat Ciuitatem Pieuis, fuit prius Confalonerius. *D* Huic, ex Iuditta Cœli natus eſt Iulius Theodoricus, & Georgius Laurentius, qui extinctus eſt in infantia. Hactenus Comes Io. Baptiſta Caſtelmagius. Cui ego auctarium hoc adſcribo.

Franciſcus Maria ab Vrbano VIII. Magiſter Ceremoniarum *E* creatus, ac inter Correctores Breuiarij, Miſſalis Pontificalis, & Ceremonialis Romani numeratus, Conſultor, & Viceſecretarius Congregationis Ceremonialis inſtitutus, ab Innocentio X. à Secretis Congregationis Rituum renunciatus, & mortuo D. Ingolo *F* Secretario, ei ſubrogatus eſt in officio Congregationis Ceremonialis, Canonicatu S. Petri in Vaticano donatus, litteris, quas vocant in forma *G* breuis *H* ornatus Referendariatu vnius, & alterius Signaturæ, quo tamen *I* abſtinuit, etſi poſtea iubente Alexandro VII. repetitis litteris, acceptauit, habitu Prælati aſſumpto, *K* ab

*A* 1633. 1634. 1635.

*B* Vghellus Ital. Sacr. p. 569. n. 47. & Bull. Vrbani VIII. exped. 16. Iul. 1633.

*C* Inſt. de S. Nicol. anni 1636. in Bappar.

*D* lib. Boſſol 2. Decemb. 1645 1650.

*E* litt inf. B. Vrb. VIII. 10. Dec. 1637.

*F* lit. inf. Inn X. 15. Iul 1654. & Alex. VII. die 9. Iulij 1655.

*G* litt. inf. B. expedit ab Alex 8. Iun. 1655.

*H* litt. inf. B. pro cop.a non pro Innocent X. die 22. Iulij 1654.

*I* litt. inf. B. Alex. VII. 12. Aprilis 1655.

*K* litt. inf. B. de cep. poſſ. die 6. Dec. 1662.

ab eodem Prælatus domesticus, intimus, Consultor Congregationis Consistorialis, & Sacræ Visitationis, & Commendatarius S. Spiritus, Consultor Congregationis Sacrorum Rituum, & Archiepiscopus Tharsi, *A* & Assistens institutus. Clemens IX. *B* s. mem. eum Prælatum domesticum elegit, Consultorem Congregationum super statu Regularium, & super Indulgentijs, & Reliquijs Sanctissimæ vniuersalis Inquisitionis creauit, nunc etiam à Sanctiss. Clemente Papa X. Domino Nostro, auctus est domestica Prælatura, & insigni Abbatia Iurisdictionali, olim sub inuocatione Sanctiss. Saluatoris, nunc S. Seueri extra, & prope Vrbemueterem, post obitum Cardinalis Antonij Barbarini Commendatarij.

*A* litt. inf. B. die 18. Apr. 1667.

*B* lib. Bossol. 1663. 20. Iun. 1665.

Io. Baptista eius frater Confalonerius extitit, & post obita munera Auditoris generalis Legationis Romaniæ, & Bononiæ, translatus est ad illud Auditoris Legationis Hispanicæ sub Clemente IX. in qua dignitate confirmatus est à Domino Nostro Clemente X.

Iulius Theodoricus, fil. vnicus Caroli viuens, designatus Confalonerius anno MDCLXX. & electus anno MDCLXXI. mense Octobri, & ad præsens Camerarius fabricæ S. Mariæ, habet in matrimonio Mariam Virginiam Cartariam, filiam Aduocati huiusce nominis, Consistorialis, nunc eius Collegij Decani, impetrata dispensatione super propinquitate, ab Alexandro VII. Ex ea filios habet Annam Iuditham, Lucretiam Margaritam, Paluzzium, Petrum Paulum, & Gasparem Ludouicum.

*F I N I S.*



# PRÆFATIO
## AD LECTOREM.



Vuat nunc præfari longiùs, cùm antea egerim breuiùs. Mouent me, Lector, mores, & tempora. Seruiebant quondam Auditores Oratoribus, Lectores Scriptoribus: hodie Oratores Auditoribus, Scriptores Lectoribus seruiunt. Tantum quisque vel Orator, vel Scriptor valet, quantum vult vulgus Auditorum. Ad huius se nutum, & Oratores, & Scriptores fingunt. Vulgus autem artem non nouit; propterea spernit: gustu ducitur, cui litatur à doctis, vt plausum, & vtilitatem captent. Dicitur, scribitur popula-

riter. Si quis concionator ſpecioſus, vocalis, comptus, venuſtus ſuggeſtum aſcendat, geſtum penè mimicum agat, exerat brachia, manus oſtentet, corrigat digitos, corpus frangat, numeroſè dicat, frequenter exclamet, pulpitum feriat; is ſummus habetur. Si quis ſcriptor locos, & teſtimonia vndecunque colligat, & inducta farragine cumulum efficiat; hunc vulgus admiratur, & ſuſpicit. Linquamus Oratores; ad Scriptores veniamus. Vaſtam eruditionem affectant, & acervatim Auctores ponunt: numeri, & molis rationem habent; non methodi, & diſpoſitionis: ſatis eſt ijs, ſi multa colligant, & in medium afferant; & ſi ſint ſcopæ diſſolutæ, non curant. In rutis, cæſiſque verſantur: dummodo antiquarios ſe oſtendant, ſibi ſatisfaciunt; litterarios, & ruderarios præſtant. Latomorum inſtar cædunt lapidicinas priſcorum monumentorum, & efferunt lapides, & acervos ſtruunt; quos cum videt vulgus, ſtu-

pet

pet in cumulo, nec structuram requirit. Arena sine calce. Quo nihil facilius. Etenim quid magis obuium, quàm inuenire obiecta, eaque apprehendere, & è loco in locum mutare, & nihil de suo ponere. Aliena sunt inuenta, solus labor illorum est. Baiulos agunt, non Auctores; in dorso studium est, non in cerebro. Atlanteos humeros habere se probant. Portant orbes, sed non mouent sphæras; nam hoc intelligentiarum est, illud operarum; & tamen populus miratur uastos, & validos humeros, quos videt, negligit Intelligentiarum motus, quæ illum latent. Nobiles esse scriptores non inficior, imò & libenter fateor. Nam vti nobiles genus cum iactant suum, aliena laudant, ita ij dum genus scribendi produnt suum, aliena promunt; venditant doctrinam aliundè acceptam, non propriam: vox quidem vox Iacob est, manus autem sunt Esau. Scribunt penna propria voces alienas. Videas calamis exarantes litteras;

extant pennæ, latent tamen sub pennis manus eorum, arguentes raptum esse, quod exarant. Forma carent. Aduocant pigmenta, & fucos inducunr; & quia non possunt inuecta proportione partium, & suaui colore addito pulcram scriptionem reddere, eam induunt vestibus eruditionis hinc inde adscitis, & multis ornamentis suffarcinant; vt, quæ pulcra esse nequit, opulenta videatur. Verùm falluntur; dum enim vnus, & alter eruditionis pannus assuitur, pannosa, & mendica scriptura, imò & emendicata apparet. Currunt per omnes Ecclesiastici orbis plagas, & fiunt plagiarij famosi. Nec in tanta vastitate plagarum Zonas inueniunt, quæ Methodica fibula stringant, & nectant, quæ scribunt. Oderunt quippe ordinem, & nexum. Hinc odium in Scholasticos scriptores, quibus obganniunt, & obsistunt, quòd seruant Methodum; quam pati

non

non possunt. Fluxi, laxi, discincti, alijs pressis, densis, altè cinctis succensent. Horum vituperatio, magna illorum occupatio est. Ignorantiam ijs rerum Ecclesiasticarum, imperitiam sacrorum Canonum obijciunt: nouitatem in excogitandis, licentiam in agitandis, leuitatem in probandis, libertatem in decidendis quæstionibus èxprobrant. Rebus addicti seruiunt factis: historiarum sequaces, euentuum tenaces, causas negligunt, rationes non curant; non iuris, sed loci, & temporis rationem habent. Incubant inuentis, partis fruuntur. Ratiocinari super ijs, quæ euenerunt, piaculo tribuunt. Scripturas Sacras, earum versiones, & sensus contemnunt. Humaniores litteras auersantur: Rhetoricos reos loquentiæ, Poetas compertos fictionis putant: notitiam profanæ historiæ vitio dant: ac ne Sacræ quidem studia placent, sola Ecclesiastica contenti, quòd Sacra sensus admittit

plu-

plures, & exigit interpretationes, ad quas & ingenio opus est, & iudicio, cuius pretium in mora est, quam ipsi temporis iacturam putant. Iam verò peritiam linguarum Babeli imputant; vnica Latina, ac ea quidem incondita gaudent. Oblectantur congerie rerum, onerant libros, vt in molem crescant; ad quam leuandam opus est subductarijs funibus, vel gruybus. Dispositio dispendio vertitur. Stylo elumbi vtuntur; neruis elisis, dictione depressa, venustate extincta, phrasi incompta, elegantia neglecta. Nihil apud eos nitidum, nihil politum, nihil concinnum, nihil ornatum, nihil tornatum. Chaos indigestum, & informe existimes. Nempè ij nudam materiam præbent: Scholastici formam inducunt: ab his sanguis, & color. Hi animant, & perficiunt. Ossa illi exanguia, sicca è situ eruunt; Hi sanguine irrigant, neruis roborant, & carnosa efficiunt. Aurum illi effodiunt, & infectum promunt;

Hi

Hi effossum faciunt, poliunt, & cudunt, & publica forma signant, & in vsum Reipublicæ vertunt. Inuehuntur in Scholasticos isti, qui se vocari volunt Positiuos, quòd fucum faciant, artem adhibendo, expoliendo ingenio, exornando iudicio. Lenocinia, interpretationes appellant; pigmenta, expositiones. Corrumpi à Scholasticis facta, dum ad Iura rediguntur; nihil addi, nihil adijci oportere, deformari prisca, formando: obliterari, tractando. Et quidem ij nihil afferunt ab ingenio: à dorso multum, cum aliò comportant, quæ inuenerunt. Et contrà quàm scribit Tullius, ijdem sunt *doctissimi, qui baiuli valentissimi*. Intenti multitudini rerum, & suffarcinatione turbati sæpè immemores sui à se discedunt; nam dum priora obliuiscuntur, proferunt contraria, & interdum inuestigantes prisca, nouitates reperiunt, ingeruntque interdũ vetusta, insolita, & rancida, quæ putent. Nec se altiùs introdant litteris, nè dum

mo-

morantur, pauciora colligant. Indices amant. Excerpunt hinc inde, quæ optant, ad fasces struendos. Saltuatim legendo procedunt, & tanquam canes è Nilo, libant aquas, non bibunt: spreto alueo, radunt ripas; carpunt libros, non vorant. Ecquis eorum integra Biblia, Patrem perpetuum legit; ad institutum suum trahunt lecta, & quæ ad palatum sapiunt, quærunt. Non se tradunt libris, sed libros liberè ad se trahunt. Iactant se volare legendo, & legere volando. Sanè vti aues, quæ præteruolant; de quibus nequeas dicere, *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Nempe doctrinis grauidæ, quæ in pluuias solutæ fluunt, & terras irrigant, vt fructus reddant. Iam verò ij nimium sibi arrogant; & gratiam Principum, & plausum vulgi in audaciam vertunt: taxant, & reprehendunt summos viros, ac interdum eos, à quibus meliora mutuantur, vt ijs videri possint doctiores. Comperies eos dissidere à Patre historiæ

Ec-

Ecclesiasticæ Baronio, eumque sæpè suscepto studio refutare, & occasiones rixandi cum eo quærere, quò se eruditos probent; & cum plurima ei debeant, dissimulant, ne furtum prodant: parum ingenui, cum pudeat eos fateri, per quos profecerint, vltrà tumorem liuidi, & vltra liuorem ingrati. Scimus, qui vtrosque legimus, quot ex illo fonte riuos deducant, quos auertunt, obruto fonte vnde manant; imò & quas aliunde aquas corriuant, earum indicia à Baronio acceperunt, & per indagata huius vestigia secuti sunt venas, ad quas demum peruenerunt, & addiderunt alueo suo tenuiter, & malignè fluenti. His artibus existimationem acquirunt, & famam comparant apud vulgus: his gratiam Principum virorum conciliant, insinuantes se se per Purpuratos, per Bibliothecarios, per intimos, vt sui rationem habeant, cæteros negligant. Aduocāt Typographos, Bibliopolas, & Librarios, varijs

eos captantes artibus, vt libenter libros suos accipiant, & cudant, & recudant, obiecta spe nummi refulgentis, quam fouent promissis liberalibus: arridente ijs fortuna, & votis obsecundante. Itaque dominantur in Republica litteraria. Placent Principibus, ab ijs expetuntur: inuitantur, fouentur, aluntur, ditantur, & vno tantùm nomine vastæ eruditionis in pretio habentur; & cum cæteris, quæ summa sunt, ingenio, subtilitate, acumine, pondere, eloquentia, dispositione, ordine, nitore, methodo destituantur, præsidijs, opibus, honoribus abundant. Itaque turgere, tumere, insolescere, insuperbire, fumare. Sed hos ego ignobiles fumos facilè dissiparim. Norint eos clamores, fauores, plausus, honores, opes, dignitates non ex doctrinæ suæ abundantia, sed ex aliorum ignorantia prouenire. Rectè quippè dicit Cicero, Nemo laudat, nisi quod se assequi posse sperat. Sperat autem quisque quod faci-

le est, obtinere. Quid autem facilius, quàm multa legere, & colligere, & in aceruum conijcere? quod ij faciunt. Quotusquisque est de vulgo, qui hoc assequi se posse non speret? Hos ergo laudat vulgus, atque adeò quæ vulgaria. At Scripturas intelligere, capere, interpretari, earum versiones tenere, penetrare sensus, notitiam linguarum habere, in Patribus habitare, Philosophiæ arcana indagare, Theologiæ intima inuestigare, argumentari acutè, aptè respondere, orationes componere, historias condere, poemata pangere, & Historias omnes tum sacras, tum profanas euoluere, iuris vtriusque scientiam profiteri, numeros omnes Doctrinarum absoluere, Encyclopædam præseferre, eiusque non semel specimem præbere, ecquis eorum, qui illa scribunt; & laudant, assequi se posse speret? Hinc igitur illi clamores, illi plausus, illa præconia, illæ gratulationes. Abeant bonis auibus, & sua illa

posſideant, qui in alijs hoſpites ſunt. Amo eos, qui vbique in orbe litterario habitant, & nuſquam hoſpites ſunt, ſed ciues. Equidem quòd ad me attinet, pluris facio vnam Homiliam Chryſoſtomi, vnam Orationem Nazianzeni, vnam Epiſtolam Hieronymi, vnam lucubrationem Auguſtini, vnam quæſtionem Sancti Thomæ, vnam distinctionem Scoti, vnam controuerſiam Bellarmini, vnam periodum Baronij, quàm illas farragines eruditionum. Nec dubitabo locos Theologicos Cani, & illas decem rationes Campiani paruo libello contentas, multis eorum voluminibus anteferre. Fruantur ij felicitate ſua, ego mea fruar conſcientia. Scias, mi Lector, huiuſmodi Auctoribus nihil eſſe inuidendum, præter fortunam. In alijs nihil deſiderari, præter eamdem. Illud neſcio, magis ne ſit, dolendum, an mirandum? Hos vno tantùm vaſtæ iſtius & inconditæ eruditionis genere præſtantes laudari, efferri, imitari, celebrari,

coli,

coli, locupletari, condecorari, & abundare. Illos autem omni Doctrinarum genere excellentes deſpici, vexari, deprimi, affligi, obrui, ſpoliari, & quod grauius eſt, præteriri, ac relegari, & interdum cogi vnà cum exoculato Beliſario obolum vnum, vnde alantur, emendicare. *O Principes! o vulgus!*



# NOI REFORMATORI
## dello Studio di Padoua.


AVENDO per Fede del Padre Inquisitore di Verona, nel Libro intitolato *Commentationes duæ* Auctore P. M. Fr. Francisco à Sancto Augustino Macedo, non esserui cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza à Antonio Rossi di poterlo stampare, osseruando gli ordini &c. Dat. 16. Agosto 1674.

( *Andrea Contarini Cau. Proc. Ref.*
( *Angelo Corraro Cau. Proc. Ref.*
( *Battista Naui Cau. Proc. Ref.*

Angelo Nicolosi Secret.

Fr. Franciſcus Maria Rhini à Politio totius Ord. Fratrum Minor. Seraph. P. N. S. Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus.

*Dilecto Nobis plurimum Chriſto R. P. Fratri Franciſco à S. Auguſtino Macedo Prouinciæ noſtræ Portugalliæ Regularis Obſeruantiæ Alumno, Doctori eximio, omni virtutum genere, & ſcientiarum ornato. Salutem in Domino, qui eſt vera ſalus.*

CVM tres ex Ordine noſtro Theologi, quibus commiſimus, opus à Te compoſitũ Commentationes duæ reuiderint, & iuxta noſtras, & Apoſtolicas Sanctiones approbauerint: Tenore præſentium cùm ſalutaris Obedientiæ merito facultatem Tibi facimus, quatenus, ſeruatis cæteris de iure ſeruandis, illud Typis mandare valeas. In cuius rei teſtimonium has manu noſtra ſubſcriptas, noſtroque maiori Sigillo munitas damus. Ex Aracœli de Vrbe die 29. Maij 1674.

*Fr. Franciſcus Mariæ Rhini de Politio Miniſter Generalis.*

De Mand. Suæ Pat. Reuerendiſs.
*F. Pius à Plac. Ord. Secret*

NOI

# PRIMA COMMENTATIO.

De Fide, atque Doctrina Sancti Vincentij Lirinensis, & S. Hilarij Arelatensis, & Monachorum Lirinensium.

Omnes, vno excepto Fausto, Augustiniani, non Semipelagiani, fuisse perhibentur.

## PARS PRIMA.

De Sancto Vincentio Lirinensi. Is omni suspicione Semipelagiani erroris liberatur.

De quo

Insula Leros; siue Sanctæ Margaritæ.

AIT

*Inuenta vna pretiosa margarita vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Seu redemit.* Matth. 13.

*Insula Lirina: siue Sancti* HONORATI.

*Congratulamini mihi, quia inueni drachmam,* (siue gemmam, uel Margaritam) *quam perdideram.* Luc. 15.

# CAPVT I.

## Cauſa, & ratio Operis. Studium, & Finis Authoris.

CVM P. Henricus Noris nobilis huius æui ſcriptor Auguſtinianus Patauij domeſticis Præfectus ſtudjis (Regentem vocant, Gymnaſiarcham mallem) ſcribere Pelagianam Hiſtoriam aggreſſus eſſet, quam modò feliciter euulgauit, pro veteri noſtra neceſsitudine ſui me participauit conſilij, & materiem, & partes operis, quod ingens, & multiplex moliebatur aperuit, ac expoſuit. Inter alias erat Catalogus Semipelagianorum, in quo ſcriptus Sanctus Vincentius Lirinenſis, & quidem inter Principes illius ſectæ. Cohorrui audito tanti nomine viri, cuius me tangebat religio, tum quòd ſciebam eius memoriam eſse conſecratam, tum quòd noueram excellentem eſse ſui Commentarij aduerſus hæreſes doctrinam. Dolui, quòd Noris ſiniſtram de illo, vnde vnde, opinionem concepiſset, quem nullus fermè Catholicus eius erroris palàm damnaſset, &ſi nonnulli leuiter ambigerent: meumque ei dolorem ſignificaui; rogauique, ne vellet eam notam homini conſecrato, tamque docto, & ſapienti inurere. Negauit

se facturum, affirmauit sibi compertum esse Vincentium eius erroris fuligine tinctum fuisse. Non destiturum à suo proposito, nec ea in re mihi, vel amicissimo, morem gesturum; spectare illud ad reconditam eruditionem, velle se eo nomine commendari. Opposui argumentum questionis nouum non esse, de quo antea nonnulli dubitarant, ac nominaui Suarez, & Vasquez, quos in promptu semper auctores habeo, cum Baronio, quem diurna nocturnaque manu versare soleo; qui tres Vincentiũ ei notæ eximebant. Respondit eo se acrius stimulari, quòd nemo hactenus tam certa illius erroris argumenta inuenisset, eaque ex ipsiusmet Vincentij Commonitorio depromp...; gloriæ sibi haud mediocri fore tantæ rei auctorem se haberi. Occurri negando, quòd scirem nonnullos Hæreticos, ac in primis Gerardum Vossium id ante præstitisse, quare hos se duces eius opinationis habiturum. Eo volui Norim deterrere. At ille incitatior factus reposuit, se antequam videret Vossium, & multò certioribus, quàm illum argumentis eam rem comperisse. Tacui, vt eius duritiem noui. Curaui tamen per amicos monere. Nihil profeci: superiores Ordinis sui commonefeci vtrique amicissimos: contendi ab ijs per literas Romam missas, vt Norim sua auctoritate à sententia reuocarent. Nitimur in vetitum. Obstinatior fieri & fidentior. Maiores animos sumere, iactare: Commonitorium Vincentij à se diligentiùs, quàm à cæteris lectum, accuratiùs expensum; meliùs intellectum; in eo certissima Semipelagianismi, imò & euidentia signa contineri, quæ nemo ante se alius deprehendisset. Hæc Patauij, hæc Romæ, quò se impetrandæ facultatis edendi operis causa contulerat, cùm sparsisset, & locos monstrasset, persuasit, verum se de Vincentij errore sentire. Facta sibi potestate librum typis mandandi redijt Patauium, me-

que re narrata cœpit minus vereri. Non me tamen deterruit. Institi contrà; & semel ad eum. Vt tua, inquam, mi Noris, opinio vera sit, cui bono erit eam palam facere? non Vincentio, quem infamas; non Commonitorio, cui detrahis, cuius si scopus est impugnare, vt ais, Augustini doctrinam, magnoperè eleuatur auctoritas: non Ecclesiæ, cui adimis Catholicum Doctorem, & germanum filium: non Augustino, cui ingentem aduersarium excitas: non tibi, qui nullum inde fructum capies, nec pietatis, cum vitium occultum detegas, nec gloriæ cum Hæreticum hominem sequaris. Superest vt id bono tantùm sit aduersarijs Augustini tui (sic enim vocas) qui hoc duce, & tanto duce Vincentio animosiores facti liberiùs, ac vehementiùs oppugnabunt Augustini doctrinam. An putas deiecturum te, quod moliris, Augustini hostes hoc ei hoste constituto? Neminem loco mouebis eo, in quem hunc auctorem induxeris. Officis magis causæ vno ei aduersario excitato quàm proficis omnibus alijs deturbatis; multi in eo, si hostis est, & graues insunt. Numerabis vnum, sed in vno plurimos pendes. Leues sunt aliorum sententiæ præ huius pondere auctoritatis. Cumque ille his, & alijs nihilomagis moueretur, quàm si dura silex foret, & Marpesia cautes, exarsi, & *Tacitum hoc, inquam, Pater Noris, non feram; scias me contrà scripturum*. Risit, & irrisit minas, tenax suæ sententiæ, quam verissimam esse iactabat, quemadmodum apparet in hoc suo opere Libr. 2. de Hist. Pelagian. c. 11. quòd in Commonitorio conceptis verbis perspicuè tradatur. Excusauit tamen semper sentiendi ingenuè libertatem, & studium veritatis promendæ, ac eo se clypeo aduersus meas petitiones muniebat. Afferamus locum illius capit. ad Ann. 434.

*Ego quidem liberè ſententiam promam, & n ſi nobis metipſis oculos eruamus, palàm faciam hunc Vincentium cum Hilario Arelatenſi, Fauſto Abbate, aliiſque Syncellitis Lirinenſibus contra S. Auguſtini de prædeſtinatione doctrinam conſpiraſſe, idque ex eiuſdem verbis euincam, quæ miramur non modò nuperos ſcriptores, qui Commentarijs Commonitorium illuſtrarunt, non obſeruaſſe, verum etiam nec ipſum Voſſium, qui non omnes illius næuos notauit.* Hoc vnum deerat, vt Vincentio adiungeret Hilarium. Nimis audet, opinor, noſter Noris. Intercedam; vindicabo ambos: & hos Catholicos heroas in caſtris Eccleſiæ retinebo, à qua nunquam defeciſſe monſtrabo; idque ex eorundem verbis, vt par pari referam Nori, ad quæ prouocauit; & Norim vador ad tribunal Commonitorij. Palam ei faciam in hoc ſuo, contra quàm putat, meridie non liquere: diem dico, litem intendo, nec ſolum ſpondeo me effecturum, vt cauſa cadat, ſed & præuaricator appareat: nam ipſomet Nori auctore abſoluendi mihi ſunt ambo, quod miretur, & doleat. Rationes eius in eundem regeram, & intorta ab eo tela retorquebo. Si vera ſunt illius, quod tantopere exaggerat, argumenta, recipio facturum me, vt quibus ille conatur conuincere erroris Vincentium, & Hilarium, iiſdem prorſus ambos abſoluendos eſſe appareat. Videbitur hoc ei fortaſſe ambitioſum, & faſtu, ac fuco plenum, & ad pompam comparatum. Longè ſecus eſt. Suſtineat iudicium, & expectet, dum hoc meum Opuſculum legit, quem cum legerit, ipſiuſmet iudicio ſtare volo. Ingenuus eſt: candidè pro me ſententiam feret. Nec vero exiſtimes, Lector, mihi peperciſſe Norim; tacitè quippe, & cautè me pungit eodem capite. In fine quippe ſic. *Hæc fuſiùs*, inquit, *proſecutus ſum, quo nonnullorum*

querе-

*querelis facerem satis, qui grandi piaculo adstringi putant eum, qui Vincentium Lirinensem eximiæ eruditionis, ac Sanctitatis Patrem in Massiliensium album refert*. Agnoſco me peti. Ego nimirum ſum auctor illarum querelarum, & quidem iuſtiſſimarum; quibus tamen ille, nec ſatisfecit, vt exiſtimat, nec, opinor, vnquam ſatisfaciet. Victor euadet Vincentius, & hilariter triumphabit Hilarius.

Quod attinet ſtudiũ, & finem. Non deſunt qui mirentur cur tanto ſtudio moliar defenſionẽ Vincentij Lirinenſis, & de eo mecum Pater Noris ſolebat expoſtulare. Tanti ne me eſſe putare vnius hominis calculum? Non in eo eſſe poſitas fortunas Auguſtini, eiuſque de Gratia Doctrinã, vt quid Vincentius ſentiret, expectandum eſſet. Non multum intereſſe ad cauſam, quæ per ſe tuta, & ſpecioſa eſſet, vnius Monachi iudicium. Cui ſi nihil detraxit Caſſianus, Fauſtus, & Gennadius, ne ei quidem quidquam detracturum Vincentium. Longè aliter, ac ij ſentio. Non habeo rationem in Vincentio perſonæ habituſue, aut inſtituti; ſed Sanctitatis, & Doctrinæ. Faſtis Eccleſiæ adſcriptus nequit in album Semipelagianorum referri. Expungi oportet ex vno, vt in alio ſcribatur. Non mihi erit colendus, ne dum adorandus, is qui initium meriti in natura ponit, qui gratiam merito fidei naturalis reddit, qui infamator eſt Auguſtini, pręuaricator Epiſtolæ Cæleſtini, refractarius Sedis Apoſtolicæ: non poteſt in libro vitæ ſcribi, qui ſcriptus eſt in catalogo Semipelagiano. Quærat ei Noris aliquos Elyſios inter Manes, vbi eum locet: ego in Paradiſo non reponam. Mouet me vehementer illud opus Commonitorij, quod cùm ſit nobiliſſimũ ea impoſtura Semipelagiana famoſum euadit. Patet: quia ſi illius ſcopus fuit doctrinam Auguſtini Ca-

tholicam

tholicam, & Apostolicam infringere, eamque nouitatis hæreticæ infamare, ad idque persuadendum omnium Hæresiarcharum exempla recenseantur, quibus Augustinus à Vincentio similis esse dicitur, nihil iniuriosius, nihil indignius eo opere excogitari potest. Horribile dictu, & auditu est: finem Commonitorij esse monstrastrare Augustinum nouum, & peruersum dogma in Ecclesiam induxisse, prorsus execrandum, & in eodem quo Arii, Photini, Sabellii, Pelagii, Nestoriique hæreses loco ponendum; hoc nec legendo oculi, nec audiendo aures meæ ferre possunt. An hoc necessarium, & vtile erit Ecclesiæ quale putant omnes esse illud opus Commonitorii? Moriar, si non hoc maxime nocet Ecclesiæ, & fauet hæreticis. Nocet Ecclesiæ, quia oppugnatur Catholica doctrina Catholicis armis, quæ in ipsius viscera conuertuntur. Fauet hæreticis, quia nemo eos conuincet rationibus, & exemplis Commonitorii, quæ adducuntur contra tutam fidem, & Catholicam veritatem. Nihil nos terrent, inquient, illa argumenta Vincentii, cum ea oppugnent doctrinam summi Doctoris, quo cum malumus tanquam Platone errare, quàm cum aliis vera sentire. In eius loco sumus: vbi ille est, consistimus. Nemo nos ab opinione demouebit iis argumentis, quibus illius solidissima doctrina quassatur. Omnia media vitiosa sunt, si finis est peruersus. Finis Commonitorii est improbatio Augustinianæ doctrinæ; igitur improbabilia erunt argumenta. Equidem si verum hoc est, mallem vt à scribendo abstineneret Vincentius. Occurrit tamen Noris; *Contigisse Vincentio idem quod Chymicæ artis professoribus, quorum labor cum ad aurum conficiendum collimaret, licet intento fine frudati sint, vtilia tamen medicamenta reperere, auro ipso longe pretiosiora*: Refello. Nam hi iustum arti, & idoneum rationi fi-

nem

nem proponunt, & rectè ad ſcopum, ideſt Aurum, collimant, quod natura nobilius eſt, quàm, quæ adhibent inſtrumenta. Prætereà ille finis naturalis eſt, qui excludit culpam, nec admitit calumniam: at hic finis eſt moralis, culpabilis, & iniurioſus. Inſuper quæ ad excogitandum, & efficiendum aurum applicantur media, ea ſunt apta, & congrua fini; quæ autem ad finem turpem moralem adhibentur, ea vſu ipſo corrumpuntur, & peruertuntur. Tandem ex arte Chymicorum ſequi poſunt vtilia, quæ ſuppleant aurum. At ex errore doctrinæ ſequi non poſſunt, niſi abſurda, & monſtra, cùm præſertim homines imperiti falli, ac decipi facile queant, credendo Vincentium Auguſtini doctrinam iure impugnaſſe; atque adeo Semipelagianorum dogma eſſe probandũ. Certè Arminiani, & Remonſtrantes, qui hodie Semipelagiani ſunt, in ſua hæreſi confirmabuntur. Itaque exemplum minus eſt accõmodatum ad cauſam Vincentij. Iam verò quantum fraudis, & doli mali eſt in illa excogitatione argumenti aduerſus Auguſtini doctrinam? vt eam nouitatis ſpecie obiecta ſimillimam vetuſtis hæreſibus efficiat, & omnes catholicas machinas, quas veteres Patres, & antiqua Concilia contra nouitates Hæreſiarcharum adhibuerunt in Auguſtini nouitatem conuertat. Næ! Vincentius impoſtoris, ac ſycophantæ notam meretur, ſi hoc ille artificio vſus eſt ad Auguſtinum impugnandum. Nihil aſtutiùs, nihil callidius, nihil verſutius, nihil fraudulentius eo homine cogitari potuit. Amo candorem, & ingenuitatem. Nollem, vt hoc ſe vitio fraudis, & malitiæ Vincentius inquinaret. Hæc ſunt, præter alia, quæ ſuperius commemoraui

expostulando cũ Nori, quæ me mouent ad hoc opusculum innocens tuendum, & à calumnia liberandum.

## Caput II.

HAud procul Antipoli Nobili Narbonensis Galliæ Vrbe, duæ Insulæ iacent in vicino mari, angusto à continenti diuisæ freto: vna Leros, quæ Sanctæ Margaritæ, altera Lirinæ, quæ Sancti Honorati dicitur, situ planæ, aere salubres, prospectu liberæ, visu iucundæ; tam vicinæ vt propinquæ; tam similes, vt gemellæ videantur. Ambæ Margaritæ Insularum, si singulæ: si coniunctæ, vniones sunt: pretii sui consciæ non multum recedunt à littore, ne in mari à piratis infestæ; aliquantum in altum prouehuntur, ne à terra latronibus sint obnoxiæ. Ac vt tutæ sint ab insidiis, altera custodit alteram. Hoc timore excitant desiderium sui. Namque tota illa littoralis ora in procacem proiectum effusa illarum complexum ambit, ardens amore fugientium, &, vt in aquis frigentium; eò magis calet terra, seque deserit, vt eas insequatur. Iniectu isthmi, ceu manus, illas apprehenderet, nisi ardorem æstuantis telluris interfusum pelagus extingueret. Verùm reciproco continentis, & maris amore accensæ insulæ non negarent fortassè amplexum, nisi crystallina illa breuis freti diuortia cupidis iturientium conatibus obstitissent. Olim infrequentes, & incultæ serpentium receptacula fuerunt; ferarum quippe clemens loci ingenium patiens non erat. Frequentiam desertæ insulæ à solitariis acceperunt. Honoratus Gallus è Græcia, quò pariter cum fratre con-

ceſſerat, cum Capraſio ſene magiſtro, amiſſo in uia fratre, in patriam rediens deſiderio ſolitudinis apud Lirinem, quam ſui nominis participem fecit, inſulam à turbis ſemotam congruum ſuo inſtituto ſeceſſum elegit. Eo ambas ciuiles primùm, & urbanas; deinde Colonias ſuperum reddidit. Et quoniam ibi meliores nitebant Soles, puriores afflabant auræ, affluxu cæleſtis roris, in ſuis ſinubus diuinas concepere margaritas, quibus ſe conchas exhibuerunt. Clauſæ exteris, inuię negotioſis Thebaides repræſentarunt in Gallia, vbi aſcetæ, ac pugiles ſacri ad omnē ſe virtutem exercerent. Initio, vt fertur, ſeparatæ cellulæ ſingulos ſeorſim continebant, Anachoretarum more degentes, quaſi nec inter ſe noti, nec familiares eſſent; ſuperis, quibus aſſueuerant, quàm mortalibus propiores. Geſtabant corpora tenuia, & penè conſumpta, ſimilia ſpirituum, ſi pondus ſpectares. Intra humanum habitum habiti inhumani, ob vitæ aſperitatem, quam trahebant potius, quàm ducebant. Verum Leros infrequens ſemper fuit, & ſolitudinis ſpeciem tenuit, niſi quòd nonnulli Monachi eò, vt ſecretius agerent, & liberiùs vacarent ſuperis, è Monaſterio Lirinenſi concedebant. Lirina, vt manſuetior, & clementior, & habitata frequentiùs, & culta religioſiùs, Monaſterium à Sancto Honorato exædificatum in molli ſitu, ſinuque excepit. Exinde inſula propior Aſtris, quàm Aquis extitit. Coloniam eò deduxerunt auida ſidera; inuida Margaritis viuis; mutarentque locum niſi ea natura fixiſſet. Planetis certior eò curſus eſſet, niſi errabundi vagari cogerentur. Sed non erat opus coli ab aſtris, quæ abundabat luminibus ſuper aſtra ituris. Capraſij: Honorati: Maximi: Lupi: Eucherii: Vin-

centi : Hilarii : Salonii : Veranii : Cæſarii, totidem Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios, Pachomios, Arſenios, Pambos, Paphnutios repræſentarunt. Niſi quòd hi viui priuati, ac ſemiſepulti latuerunt; illi pene omnes cum diu latuiſſent abſconditi, poſtea è latebris eruti, ſuper candelabra Eccleſiarum lucernæ lucidiſſimæ fulſerunt; & qui antea erant ſolitarij magnas ciuitates præſtiterunt. Itaque illud Monaſterium ſterile, & infæcundum ob ſolitudinem, Seminarium Epiſcoporum fuit. Id miraculum dixeris, quòd S. Porcarius auxit Margaritas, cùm mactatus ad Aram Chriſti cum quingentis fratribus martyrium fecit: niſi ſi illi in Pyropos verſi candidas inter Margaritas ſuo ſanguine purpurarunt. Hic ſanè Porcarius Aras meruit, & cum ſuo martyrum choro, cùm eſſet Porcarius, ante omnes Margaritas poſitus fuit. Felix Inſula, ſi Fauſtum in gremium non acciperet è Caſsiani Maſſilienſis Maſſa compactum, & fermento erroris corruptum. At non indigenam tulit, inquilinum ex Anglia accepit, alite infauſta abiturum Reios, Reum Semipelagianiſmi. At vna Hirundo non facit ver, nec verum. Semper Fauſti Auguſtino aduerſi. Primum ipſe: hunc Proſper confutauit. Mirum. Opponi Proſperum Fauſto. Inter hos floruit Vincentius Lirinenſis vulgò dictus, diuinus Lyricen qui Arionis inſtar obſtupefecit vndas cantu Commonitorii aduerſus nouitates hæreſum editi, & Sirenen in freto Gallicano vltra Herculem Gallicum aureis verborum retibus trahentem animos Catholicos, auertentem hæreticos repræſentauit. Hic primùm *varijs & triſtibus ſecula-*

*ris militiæ turbinibus* verſatus, ac volutus clauum ęgrè quietis tenuit, & negotiorum procellis agitatus huc, illuc iactabatur, incertus quò proram dirigeret; donec adſpirante ſecundiſsima Spiritus Sancti aura ad portum Religionis appulit. Quod ait: *Depoſitis vanitatibus ac ſuperbiæ flatibus* ſignificat eum honores publicos geſſiſſe. Hinc quidam Galliarum Præfectum Vincentium illum fuiſſe dicunt qui temporibus Sancti Martini, & Ambroſij vixit, & nobilem vmbram in eorum conuiuiis egit. Verum id vix patitur ætas Lirinenſis haud paulo quàm pro ea ætate iunioris, niſi ſi ſeculum vixit, Fauſto Epiſcopo ſimilis, quem propter longiſsimam ætatem, & proſperam valetudinem negabat vulgus poſſe ſeneſcere. Quoquo modo ſe habeant tempora, ille ſanè uarias & militares, & ciuiles præfecturas habuit, & quidem ſplendidas. Ad eas non rudis, nec illiteratus acceſsit; Bonarum quippe artium ſtudiis à puero operam dedit, uti dignum erat fratre Lupo Trecenſi quæ nobilium ſcriptorum opinio eſt. Imbuit mentem diſciplinis liberalibus, & latinis: eruditionis, & elegantiæ compos extitit. Sacrarum doctrinarum peritia excelluit. Poſt geſtos honores, tædere eum cæpit rerum humanarum, & nobilem efferēdi ſe ſe altius impetum cæpit. Solitudinem cogitans in uillula remota ſeceſsum quæſiuit, & Monachum egit. Cum faſtu & habitu nomen quoque ille depoſuit. Peregrinus uocari uoluit: hoc ſe nomine Commonitorij prodidit auctorem. Siue quòd peregrinator antea fuerat: ſiue quòd deinceps peregrinari in mundo uolebat. ſiue quòd à ſemetipſo differre agitabat, ſiue quòd peregrinitas quædam uirtutum

insula homini eum incolam cæli erat factura . Otium illud negotiosius omni negotio fuit . Dediscere pristinas delicias: exuere inolitos animo habitus; profanas curas abiicere; detortos affectus corrigere; frenare gulā; macerare corpus ; mentem intendere : precari , psallere , contemplari . Vnum ex præteritis retinere , curam Reipublicæ ; cui studere maluit etiam priuatus mutato in melius argumento . Igitur scribere decreuit quæ Ecclesiam iuuarent . Non exasperauerat gladij capulus manum : bene tulit calamum . Armorum vsus non obtuderat mentem acutam ad exercitationem litterariam . Hæreses multæ, quæ iam videbātur extinctæ, suppositæ cineri doloso calebant adhuc, & fumabant ; & quamquam in Concilijs oppressæ autoritate Scripturarum , & Patrum resurgere conabantur nouitate perniciali : quam iactabant, vt placerent vulgo semper amanti nouitatis . Igitur Vincentius vt eas prorsus extingueret opus est meditatus inscriptum *Commonitorium aduersus profanas vocum, siue hæresum* ( variat quippe lectio) *nouitates* ; in quo nomen ipsum Commonitorii uetustatem priscæ Fidei innuit, qua refutat hæresis nouitatē; reducit quippe in memoriam ueterem Ecclesiæ doctrinam , quam praua opinionum nouitas incessebat ; ut studia hominum excitaret . Quod accuratè ac eruditè compositum opportunè euulgauit ; exiguum , si molem spectes ; magnum , si rerum pondus expendas . Nihil eo eruditius , nihil subtilius , nihil solidius . Mirum quanto sit plausu exceptum ; quemadmodum ex subiectis præconiis apparebit . Torquet Hæresim funiculo triplici , Vniuersitate , Antiquitate , Consensione . Vnde nodus existit plusquam Gordius nulla vel arte , vel vi sol-

endus . Ab Ario ad Nestorium æqualem suum Hæresiarchas numerat , & fulminat , sed in hunc qui erat recentior, præcipuè tonat. Nullam capitalem hæresim impunè abire permisit . Vindex Fidei Assertor Religionis . Rubentem hanc dexteram extra Insulas Leronem , & Lirinem exeruit intra villulam, inqua latitabat , futurus post fulmina lyricen Lirinensis , hostibus flagrantibus cum ipse immersus vndis remedium ne deflagrarent indicabat . Peregrini nomen & assumpsit , & inscripsit : quod transiens in Lirinem Vincentio proprio commutauit , cum iam vicisset hęreticos , & victricem lyram ad Epinicium Lirinensis incola prouocaret . Nondum Faustus hæretici personam assumpserat , nondum simulata pietate fucum Ecclesiæ fecerat, non dum Semipelagianum virus vomuerat , cum Vincentius ibi tyrocinium posuit . Antequam Fausti contubernio vteretur Commonitorium suum scripserat . Innocenti adhuc à semipelagiana labe Lirinensi pelago in Lirinam trasmisit. Trãquillùs ibi vixit , & sãctiùs. Omnes suas ad Deũ curas conuertit. Illum ardebat ; illum anhelabat , donec cælestis patriæ desiderio æstuans febrim contraxit , quę attenuatum ieunijs , & vigilijs corpus extinxit ; post eà funeratus est ritu Monastico , ibi sepultus , vbi se viuus condiderat . Quo anno ætatis , imo & sæculi mortuus sit ! incertum discrepantes scriptores fecerunt. Rectè ; nec enim putari rationes temporum debuerunt eius , in quo ratio erat æternitatis habenda . Hac vna est ille æstimandus, & metiendus. Constat relatum inter superos fuisse , Aramque eius nomini erectam . Consecrationis memoria fit ad ecclesia nono idus Iunias , Itaque dies obitus certus habetur , seculi, & ætatis ambiguus . Theodosio , & Valentiniano Imperatoribus decessit .

## Caput III.

*Testimonia honorifica scriptorum grauissimorum de Vincentio Lirinensi, quæ pugnant cum sententia Noris de Semipelagianismo eiusdem. Dictum Noris affirmantis constare ex scriptis Vincentij eum cum Semipelagianis sensisse obiecto Francisci Suarij, & auctoris testimonio refutatur.*

IVuat, imò & decet initio huius opusculi complurium, & diuersorum, qui idonei omnes sint, scriptorum testimonia proferre, quæ fidem faciant innocentiæ Vincentii Lirinensis, & bonitati causæ a me susceptæ, vt quàm ille fuerit ab erroris, & ego à contentionis suspicione alienus appareat. Illorum iudicia a me producta totidem erunt de meo præiudicia. Ad quæ prouocare lubet, si me Pater Noris aut quisquam alius ei obnoxius velit arguere, aut qùod importunè me ingesserim, aut quòd contentiose cum amico me gesserim. Grauis est causa, & communis, quæ nõ patitur moram, & excusat contentionem pro Sancto, talis est quippe Vincẽtius, & pro eius libello vti vulgò scriptores appellant, *aureo*, susceptam.

Incipiamus ab irrefragabili testimonio.

Martyrologium Romanum IX kal. Iun. 24. Maii.

In Monasterio Lirinensi Sancti Vincentii presbyteri Doctrina, & Sanctitate conspicui.

Eucherius in Epist. ad Salonium ante librum Quæst. Vet & noui test.

Eu-

Eucherius Salonio filio salutem. *Sæpe quæris, &c. dignum namque est quacunque cura mea ingenium tuum remunerari: qui vix dum decem natus annos eremum ingressus inter illas sacras manus non solum imbutus es, verum etiam nutritus sub Honorato patre illo, patre inquam primo Insularum, postea etiam Ecclesiarum magistro: cum te illic Beatissimi Hilarij tunc Insulani tyronis, sed iam nunc Summi Pontificis doctrina formaret per omnes spiritalium rerum disciplinas: ad hoc etiam te posteà consummantibus sanctis viris Saluiano, atque Vincentio eloquentia pariter, scientiaque præminentibus. His igitur tot ac talibus vsus magistris &c.*

Gennadius lib. de Illustr. Eccl. Scriptor. Cap. 64.

*Vincentius natione Gallus apud Monasterium Lirinensis Insulæ presbyter, vir in scripturis sanctis doctus, & notitia Ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus composuit ad euitanda hæreticorum colloquia nitido satis, & aperto sermone validissimam disputationem, quam absconso nomine suo titulauit Peregrini aduersus hæreticos: cuius operis quia secundi libri maximam in schedulis partem à quibusdam furatam perdidit recapitulationem paucis sermonibus sensu pristino compegit, & vno in libro edidit: moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus.*

Ado in Chronicis anni 425. ætatis sextæ.

*Vincentius quoque natione Gallus apud Lirinensem Insulam presbyter satis in diuinis scripturis eruditus moritur.*

Honorius presbyter Augustudonensis de Ecclesiæ luminaribus.

*Vincentius natione Gallus apud Monasterium Lirinensis Insulæ presbyter, vir in scripturis sanctis doctus scripsit validissimam disputationem, quam absconso nomine suo attitulauit Peregrini aduersum hæreticos; sub Theodosio claruit.*

## Petrus de Natalibus.

*Vincentius Gallus gente, Lirinensis Insulæ presbyter temporibus Theodosii, & Valentiniani Augustorum claruit. Hic vir sanctitate admirandus, in diuinis scripturis eruditus ad vitanda hæreticorum colloquia validissimam edidit disputationem, quam celato nomine suo Peregrini aduersus hæreticos intitulauit: cuius operis partem, quia in schedulis positam furto perdiderat, recapitulando paucis sermonibus sensum in vno libro compegit. Quieuit Romæ in Christo. Kal. Iunij.*

## Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

*Vincentius monachus, & presbyter Monasterij Lirinensis Insulę natione Gallus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & secularium litterarum non ignarus, vita, & moribus clarus. Extat eius insigne opus quod sub Peregrini nomine composuit à veteribus doctoribus percelebre laudatū de erroribus & collegijs hæreticorum fugiendis contra omnes hęreticos lib. 2. Alia quoque nonnulla scripsisse legitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit Theodosio & Valentiniano regnantibus anni 425. ætatis sextæ.*

## Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. anot. 104.

*Sed quàm miserè infelices isti falluntur, luculentissimè demonstrauit Sanctissimus, atque inter Patres, qui ante mille ac ducentos fere annos floruerunt, doctissimus, ac disertissimus Vincentius Lirinensis, edito Libello vere aureo, quem omnes Catholicæ pietatis amatores assidua versare manu deberent, ceu enchiridion, siue militarem pugniunculum aduersum prophanas omnium hęresum nouationes. Is igitur &c.*

Posse-

## Possevinus in apparatu sacro tom. 3.

*Vincentius Lirinensis Gallus, aureum scripsit librum aduersus prophanas omnium haersum nouitates. Is autem, inquit Genadius & Cęterum in libello non procul à fine refert Concilium Ephesinum ante trienium celebratum fuisse, quam ipse illud Opusculum conscriberet. Extat in Biblioth. SS. Patrum Bignai, sed & separatim Coloniæ editum, primo Basileæ ann. 1518. vnà cum alijs contra Hereticos. Deinceps autem apud Maternum Cholinum nu. 1569. & ann. 1589. apud Herstium.*

## Cardinalis Bellarminus ad ann. 400.

*Vincentius Monasterii Lirinensis presbyter æqualis Cassiani fuit, quippequi paulo post Concilium Ephesinum se scripsisse test a tur idest, tribus annis post Concilium celebratum. Scripsit opusculum paruum mole, sed virtute maximum, de prophanis vocum nouitatibus. Libellus extat & vtilissimè legitur.*

## Petrus Pitthœus in Epist. Dedicatoria Saluiani ad Fabrum.

*Testis Vincentius qui Peregrini nomine Commonitoria scripsit, quibus nihil eo genere aut maiore iudicio, acutiore stylo, conscriptum memini.*

## Ioannes Hassellius doctor Louaniensis in Libello de Officio Pij viri:

*Vincentius Lirinēsis doctissimè, ac verissimè tradit, quòd Patribus hac lege credēdum est &c.* Rursum. *Hæc Vincentius dilucidè, atque rectissimè tradit.* Tandem. *Doctissimus ille Vincentius Lirinensis in vtilissimo prò Catholicæ fidei antiquitate, & veritate aduersus prophanas omnium hereseon nouationes Libelli, videtur doctissmè, & solidè pii viri officium in procellis hæreseon describere, &c.*

Martinus Peresius Ayala p. 2. assert. 5.

*Vincentius etiam Lirinensis in aureo illo aduersus prophanas hæreses libello, clarioribus verbis hoc idem ante mille & centum annos loquens de Ecclesiasticis Concilijs eleganter expressit.*

Ludouicus Carbo introd. lib. 4. c. 14.

*De quibus legendus est aureus, & nunquam pro dignitate laudatus Vincentij Lirinensis libellus.*

Ioannes Costerius Columba dictus in præfat. ad lect. Commonit. Vincen. Lirin.

*Quoniam hunc Diui Vincentij librum, doctissimi cuiusque iudicio longè optimum, eiusque lectionem non tantùm vtilem, sed et necessariam quoque hac tempestate omnibus esse constat: non solum Theologiæ candidatis, sed Iurisperitis quoque, & Medicis, omni denique, & conditioni, & ætati, visum est hic Commentariolum quoddam adiungere, in eorum præsertim gratiam, qui in diuinorum librorum lectione minus exercitati sunt, vt in promptu habeant, quo nodos omnes, si qui inter legendum se se offerant, dissoluere possint.*

Theophilus Rainaudus de malis ac bon. lib. partit. 2. Erotem. 19.

*Vincentius Lirinensis aureum Commonitorium edidit nomine Peregrini, vt auctor est Gennadius in Vincentio.*

Franciscus Suarez 1. tom. de grat. Prolog. 5. c. 5.

*Vincentius Lirinensis Catholicus scriptor, & Cassiano æqua-*

lis, & in Monasterio Insulæ Lirinensis insignis Monachus, ac validissimus contra hæreticos disputator: & rursum *Vir religiosissimus* fuisse perhibetur, & dicto libro suo talem se ostendit.

## Ioannes Baptista Gonet disp. 2. 5. 7. De gratia.

*Vincentius in Opusculo contra prophanas vocum nouitates cap. 34. vehementer arguit Pelagium, quòd necessitatem gratiæ iuuantis nos in singulis actibus negauerit, & cap. vlt. Epistolam Cælestini Papæ aduersus Semipelagianos cum veneratione recipit. Gennadius validissimum contra hæreticos Atletam fuisse memorat.*

## Cardinalis Baronius tom. 5. Annal. ann. 434. edit. Rom. pag. 647.

*Vincentius Lirinensis cum aduersus omnes hæreticos, tum præcipue ad sepeliendas penitus recens emersas Pelagij, Cælestij, atque Nestorij hæreses disertissimum elucubrauit Commentarium.* Et iterum. *Cuius quàm fuerit mira eruditio libellus ipsius ostendit, vt vix sit reperire qui paucioribus chartis maiora, & feliciori tractatu concluserit ijs temporibus admodum accommodatus, & in Ecclesia Catholica semper posteris profuturus, cùm numquam desuturi sint nouatores hæretici; ad quos penitus explodendos idem auctor summa industria laborauit.* Rursus anno 431. pag. 188. alterius editionis. *Hæc Vincentius de Epistola Cælestini, quam tanti ponderis esse docet, vt satis sit ad omnes hæreses euertendas, nouas sententias in Ecclesiam inducentes, quo potissimo argumento tum Pelagianorum, tum aliorum omnium hæreticorum fundamenta idem auctor conuellit opere illo contra hæreses scripto, certè aureo.*

Car-

Cardinalis Perronius in replica ad Regem Angliæ.

Laudat sæpissimè Vincentium Lirinensem, & prænomine *Sancti* eum semper afficit.

Melchior Canus in suo egregio opere de locis Theologicis lib. 7. c. 3.

De auctoritate Patrum.

*Hæc Vincentius Lirinensis non minus prudenter, quàm verè dicit.* Iterum ibidem *n.* 16. *Hactenus Ephesi Concilium, refertur autem à Vincentio Lirinensi, in libello verè aureo aduersum profanas nouationes.* & c. 4. init. *Vt Vincentius Lirinensis rectè dicit.* Et ibidem paulo post. *Vincentius Lirinensis doctissimè, elegantissimèque respondit.*

Henricus Spondanus anno 434. n. 4.

*Hoc item ipso anno Vincentius natione Gallus Monasterij Insulæ Lirinensis presbyter cum aduersus omnes Hæreticos, tum præcipuè ad sepeliendas penitus recens emersas Pelagij, atque Nestorij hæreses pro defensione antiquæ Patrum fidei summa industria disertissimum sub nomine Peregrini elucubrauit Cõmentarium, his temporibus apprimè accomodatum, & in Ecclesia Catholica aduersus quoscunque Nouatores semper profuturum, quem vna cũ auctore laudauerunt olim Gennadius, & Sanctus Eucherius.*

Vasquez i. p. d. 91. c. 8. n. 43.

Vincentium liberat ab omni suspicione Semipelagiani erroris, eumque obiectiones Vincentianas edidisse inficiatur.

Aluarez Archiepiscopus Tranensis, & Salpensis.

Vnus hic è principibus suæ ætatis Theologus disp. 2. de Auxil. Diuin. Grat. subtiliter de Semipelagianis, & eorum erroribus differens solos Massilienses, & inter eos Cassianum, & Faustum profert, & d. 5. Vincentiũ Lirinensem honorifice appellat.

Dionysius Petauius.

In

In rat. temp. p. 1. lib. 6. anno 434. *Vincentius Lirinensis aureolum edidit libellum aduersus hæreseos ; nempe tertio anno post Ephesinam Synodum , vt ipse testatur*. Pergit de Casſiano ſcribere , & Semipelagianum appellare, Vincentio libero relicto .

Philippus Labbe 2. tom.ſuæ diſſert. de ſcrip. Eccles. Card. Bellar. Vincentium ſūmis laudibus effert ,& eum obiectionum Vincentiarum auctorem fuiſſe negat.

Hieronymus Bardi.

In Martyr. Rom. *In Monasterio*, inquit, *fit commemoratio natalis S. Vincentij presbyteri viri , & pietate, & doctrina insignis*.

Gualterius in talibus Cronol. ad annū. 400. ad 500. *Sanctus Vincentius Lirinensis doctissimus eloquentissimusque Hæreticorum impugnator , vt planum est ex eius non minus pulchro, quam breui Commonitorio , maximè verò Pelagianorum*.

Gueznaius in ſuo opere Prou: Maſsil.

*Vixit inter illustres Sanctitate , doctrinaque Monachus Vincentius Lirinensis , de quo Annales Lirinenses* . & poſtea negans eum obiectionum Vincentianarum fuiſſe Auctorem . *Merito*, inquit, *Baronius, Suarez, Bellarminus, & penè omnes Scholastici eum vindicant ab hac nota*.

In Indice Librorum expurgandorum , & cenſura Bibliot. Patr. Tom. 4.

*Sanctus Vincentius* appellatur retento titulo *Sancti* , qui in nonnullis aliis deletur .

Verùm quando placuit Patri Nori Voſſii calculum ponere contra Vincentium me quoque iuuat nonnullos pro eodem aliorum proferre ; idque in primis obſeruo : quicunque illorum parui pendunt Sanctos Eccleſiæ Patres , eos quoque Vincentium ſpernere : qui autem eos magni faciunt , ab iis etiam Vincentium plurimi fieri ; cuiuſmodi ſunt Georgius

Callistus, Gerardus, Marcus Antonius de Dominis, Georgius Cassander: vnum eorum nominatim appellare volo, quem parem Vossio opponam. Hic est Hugo Grozzius; cuius hęc verba sunt in suo pro pace Ecclesiastica Voto. *Traditionis autem dignoscendæ regulas eas agnosco, quas consignauit Vincentius Lirinensis, approbantibus Catholicis, & Protestantium multis. Eum Semipelagianismi accusare, non nisi Sesqui Manichæorum est.*

His grauissimorũ auctorũ præconijs, quę totidem ferme sunt præiudicia, causa Vincentij Lirinensis iuuatur aduersus suspiciones Patris Noris eum in iudicium vocantis, tamquam Semipelagiani erroris compertum. His ego præmissis iudicandum propono Lectoribus, & absoluendum. Paucos sibi Noris suffragatores habet. Nec nisi Vossium adhibet hominem heterodoxum, & Semipelagianum, sectatorem Arminij, & de grege Remonstrantium, quos ego cum in Anglia essem noui, & integro libro, qui *Mens Innocenti diuinitus inspirata* inscribitur, denunciato ijs primum bello refutaui. Hostem præterea Augustini, quique in partibus vult habere Vincentium Lirinensem, vt veluti parem opponat Augustino. Verum Pater Noris negat vllius se auctoris patrocinio indigere. Ipso vtitur patrono, & suffragatore Vincentio. Affirmat ipsum sua doctrina se prodere, & suomet testimonio conuinci. Non opus esse alijs argumentis, quàm ipsis Vincentij scriptis, quæ quia auctores oppositæ sententiæ eum liberantes, oscitanter legerunt, minus eum consideratè notæ Semipelagiani erroris exemissæ: quam ei Noris ipse diligens, & attentus lector meritò inussit. Norim audiamus lib. 2. c. 11. pag. 243. *Id ex eius verbis eruncam, quæ miramur non modò nuperos scriptores, qui Commentarijs*

Com-

*Commonitorium illustrarunt non obseruasse, verum etiam nec ipsum Vossium, qui non omnes illius libri næuos notauit.* Qua ratione necesse est, vt ne Gennadius quidem, qui Vincentium eius erroris non accusat, cum diligenter legerit. Quo argumento vtitur eruditus Pater Gonet disp. 2. s. 7. tract. de grat. qui suffragatur Vincentio. *Addo*, inquit, *quod Gennadius hunc ei in æuum non appingit.* Equidem Baronium, Spondanum, Suarium, Vasquium, & Gonetum nõ oscitanter legisse Vincentij Commonitorium puto; à quibus tamen video eum absolui. Vnum horum quem magni facere solet, nec iniuria, Noris, ei opponere volo Suarium, qui tom. 1. de grat. prologom. s. c. 5. loquens de Vincẽtio: *Hæc autẽ suspicio inprimis nullum habet in opusculo Vincentio Lirinensis contra profanas vocum nouitates, quod solum ex scriptis eius habemus, fundamentum.* Aduersatur Nori Suarius. At non est ex ijs qui commentantur; Noris autem perspicuè *Commentatores expressit*. Fucus hic est: teneamus sensũ. Significat Noris reliquos ante se scriptores qui Vincentium liberant à Semipelagianismo, eos indiligenter illius scripta euoluisse, sibique vni arrogat lectionis accuratæ laudem, quam ne cum Vossio quidem patitur esse communem.

Rem aggredior. Ego me Nori aduersarium exhibeo, & negotium, opinor, facessam. Contrà: Fidenter assero nihil prorsus esse in scriptis Vincentij Lirinensis, quod sapiat errorem Semipelagianum; & recipio, ex ijs me, vt par pari referam, Nori, palàm facturum ab Augustini doctrina de prædestinatione, & gratia minimè recessisse. Nouit Noris meus familiaris, eum me esse, qui summa cura & intentione auctores lego, ac ijs me inferræ ac penitus introdu-

re, & eorum ſenſum diligenter inueſtigare.

Itaque multum operæ poſui in legendo, & intelligendo Vincentij Commonitorio: venas omnes eius ſcripti tentaui: fibras inſpexi. Omnia ſubtiliter rimatus ſum nequid præteriret eorum, quæ rem continerent; ita iudiciũ apud me formaui vt falli, fallere vel in ferẽda ſentẽtia nec velim ſi poſsim nec poſſim ſi velim. Quid quid pater Noris opponit diligẽter recognoui, lentè examinaui, accuratè contuli cum verbis Vincentij: ſenſum ab eo elicitum, & in ſuis fontibus hauſtum accepi, expendi, ſine odio, ſine amore, ſine inuidia, ſine perturbatione, & vbi de eo conſtitit retuli comparando ad eum ſenſum quem Noris attribuerat verbis Vincentij, & hunc comperi omnino eſſe à vera mente Vincentii alienum, meum autem iuſtum, & legitimum, & cum auctorum de quibus hactenus mentionem feci iudicio conueuire: Et tandem ſtatui Vincentium à Semipelagianis diſſentire, & Auguſtino conſentire: Id autem vt appareat, nitide, ac explanate ſingula Noris argumenta proponam, eaque aptè, ac perſpicuè refutabo: imò & pleraque in eundem, quod mihi feliciter contigit, retorquebo: vt ſi ſecum cohærere velit, neceſse eidem ſit fateri Vincentium Auguſtino adhæſiſse. Res eſt expectationis plena: ea erectos lectorum animos video; adſint, ſuſtinebo expectationem, & eorum deſiderio ſatisfaciam.



Caput

# Caput IV.

*Soluitur capitale Noris aduersus Vincentium argumentum, ductum ex verbis eiusdem, quæ non excludunt gratiam, ad petendum, & pulsandum, sicuti excludebant Semipelagiani., Sensum Vincentij esse Augustini ponentis gratiam antecedentem ad orandum, & pulsandum. Vincentium impugnare aliam gratiam personalem, quæ tollebat omnem prorsus necessitatem orandi cum gratia, & sine gratia eodem quo Augustinus modo aduersus Pelagium. Multum inter sensum Fausti, & Vincentij inter esse. Adducitur in fauorem Vincentii Concilium Arausicanum.*

ACHilles hic est P. Noris, eoque se multis persuasisse doctis, & eruditis viris suam de errore Vincentij sententiam mihi seriò confirmauit, nec alio opus fuisse: omnes audito eo consensisse. Igitur sic capite 37. Commentarij Vincentius. *Audent*, inquit, *polliceri*, *& docere*, *quòd in Ecclesia sua, idest, in communionis suæ conuenticulo magna personalis quædam sit Dei gratia; adeo vt sine vllo labore, sine vllo studio, sine vlla industria; etiam si nec petant, nec quærant, nec pulsent, quicunque ad numerum suum pertinent, vt Angelicis euecti manibus, idest Angelica protectione seruati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, idest nunquam scandalizari*. De hoc loco ita dixerat Noris. *Audiamus iam Vincentium egregiè his* ( nimirum Cassiano, & Fausto ) *concinentem, dum irridet asserentes gratiam specialem, & personalem, subinferens dari petentibus, pulsantibus, quærentibus*. Etenim in Commonitorio cap. 37. ait. *Audent*. Putat vero se de eo testimonio prorsus confecisse.

Ego vero nego, & exarmo iſtum Achillem. Adeſdum qui legis. Nego iterum: ac pernego Vincentium de ijs orationibus, & petitionibus loqui, de quibus Caſſianus, & Fauſtus: ac diſtinguo in hac materia petendi, quærendi, pulſandi tres opiniones ſcriptorum eius temporis. Prima fuit Pelagij negantis neceſſitatem petendi, & orandi, & omnino tollentis petitiones, & orationes, quòd diceret non opus eſſe petere à Deo, quod in noſtra facultate naturali poſitum. Fruſtrà poſtulari à Deo, quod nos viribus noſtris facere poſſemus. Hic ergo prorſus orationes, & preces auferebat, quem ſecuti hæretici Pelagiani. Secunda fuit Caſſiani, & Fauſti, & ſequacium Semipelagianorum, qui contra Pelagium neceſsarium eſſe dicebant petere, quærere, pulſare; & neceſſitatem precum, & orationum fatebantur; ſed eas tamen naturales ponebant, & in noſtra eſſe poteſtate diſertè affirmabant, vt noſtris viribus datum eſſet petere, pulſare, quærere, orare, imò id omninò ex natura fieri oportere, vt per hoc initium precum, & orationum naturale primam gratiam mereremur, quam debebant antecedere illa initia naturalis induſtriæ, quæ gratiam à Deo impetrarent. Tertia fuit Catholicorum, & Auguſtini adſtruentium contra Pelagium neceſſitatem orationis ad obtinendam gratiam, & negantium ſufficere naturam ad ſalutem conſequendam; præterea affirmantium aduerſus Caſſianum, & Fauſtum neceſſitatem gratiæ ad iſtas petitiones & orationes, antecedenter ad illas: ita vt non præcederent iſtæ preces naturales gra-

tiam Dei, ſed contra gratia Dei illas præcederet, ne vllum in nuda natura meriti initium poneretur. Medij igitur erant inter Pelagianos, & Semipelagianos Catholici. Illi negabant omnino neceſſitatem orandi, & petendi. Hi concedebant neceſſitatem orandi, ſed dicebant facultatem orandi eſse naturalem, & exigebant orationes naturales antecedenter ad gratiam, tanquam meritum illius. Catholici adadmittebant neceſsitatem orandi per orationes non merè naturales, ſed ex gratia antecedenti, vt meritum illud initiale à natura excluderent, & gratiæ aſsignarent. Hæc conſtant. Nunc inficior verum eſſe, quod ait Noris, Vincentium Lirinenſem de illo ſecundo genere, orandi, quærendi, pulſandi Caſsiani, & Fauſti locutum. Nam in textu nihil inuenitur, quo id ſignificetur. Vbi enim quæſo dicit Vincentius illud ſtudium, & induſtriam, & laborem eſse debere naturalem, & illas preces, & Orationes à nuda natura proficiſci? Nam illa verba *ſine vllo labore, ſine vllo ſtudio, ſine vlla induſtria* non reſtringunt ſignificatum ad ſolas vires naturæ, imò videntur complecti etiam laborem, ſtudium, & induſtriam comitante gratia, ſic enim ſonat illud *ſine vllo, ſine vlla*. Ideſt; nullo prorſus naturæ, & gratiæ; vnde loquitur ſenſu Catholico improbans auferentes totum id quod eſt à natura, & gratia. Deinde illa verba: *Etiam ſi nec petant, nec quærant, nec pulſent*, non circumſcribuntur limitibus naturæ, ſed extenduntur etiam ad gratiam, & excludunt petentes, & quærentes, & pul-

ſantes

ſantes ſimpliciter , & generaliter , ſiue ex natura , ſiue ex gratia faciant. Cur ergo P. Noris has omnes particulas generatim poſitas , & vtrumque naturæ , & gratiæ ſtatum comprehendentes , ad vnum tantum naturæ ſtatum ſingulariter reſtringit , ſumens eas in ſenſu Semipelagiano ? Cedò mihi quæſo vnam notam , quæ addicat illa verba Vincentij ad ſolam naturam , excludatque gratiam ? Hoc autem oportuit fieri ad damnandum Vincentium , qui ſic loquitur , vt damnet eos , qui omnes auferunt orationes , tum ex ſola natura , tum ex natura , inſpirante , & adiuuante gratia : in quo eſt manifeſta hæreſis contra doctrinam Catholicorum affirmantium eſſe petendum , quærendum , pulſandum , non negantium : quo enim iure damnare poterat affirmantes , qui ſolos negantes damnabat ? ideſt nec petentes , nec quærentes , nec pulſantes . Vbi , vbi hic eſt illa clauſula Semipelagiana ex natura ſine gratia ? Nulla illius mentio apud Vincentium . At dicet Noris ſatis illud ſignificari per alias particulas , *ſine vllo labore , ſine vllo ſtudio , ſine vlla induſtria* , quæ videntur excludere gratiam , & nudam naturam adſtruere . Nego , nam gratia non aufert laborem , nec ſtudium , nec induſtriam ; excitat , & præuenit ad laborandum , ad operandum , & iuuat laborantes , & operantes . An Sancti quando merentur , nihil ponunt de ſuo ? Ponunt , ſed cum gratia , non ex ſola natura . Itaque illæ particulæ omnem prorſus laborem , omne ſtudium , omnem induſtriam auferri , tum ex natura, tum ex gratia ſignificant .

Refuto

Refuto adhuc Norim manifestiùs. Patet hic sensus ex sequentibus, *tamen ita diuinitus dispensentur, vt Angelicis euecti manibus, idest Angelica protectione seruati numquam possint offendere ad lapidem pedem suum, idest numquam scandalizari* Expendamus singula: dispensati à labore, à studio, ab industria, & oratione, & à requisitis ad salutem. Angelicis euecti manibus: viden? vt omnis industria, & labor, & operatio ad Angelos reducatur; eorum manibus committitur negotium saluationis; homines nihil agentes, nihil operantes proprijs manibus otiosi, negligentes, dormientes Angelicis manibus euehuntur, nec repunt, nec ambulant, nec currunt, nec laborant, & tantum laborant Angeli illos ad superos euehentes: ac ita, vt ne libertatem quidem exerceant, cum peccare non possint, nec deuiare, nec deerrare à tramite salutis. *Nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum* quia Angeli totum negotium peragunt, sine vllo hominum illorum labore, sine vllo studio, sine vlla industria: tanta sunt à Deo dispensatione priuilegiati, tanta ab Angelis protectione seruati. Numquam hæc docuit Augustinus, numquam Catholici tradiderunt. Non ergo eos impugnabat hoc in loco Vincentius, nec impugnare hoc nomine poterat, imò ne de ijs quidem cogitare. De qua ille cogitaret hæresi, suo infra loco demonstrabimus. Quod autem subiungit Noris. *An verò disertiùs suam sententiam potuerit exprimere, vel reapsè expresserit Faustus certè non video.* Miror id tanto viro excidisse. Nam Faustus, & Semipelagiani semper expresserunt naturam, & excluserunt vtranque, antecedentem, & concomitantem, siue excitantem, adiuuantem gratiam, vt patet ex verbis eiusdem Fausti su-

pra relatis ab ipſomet P. Noris lib. 2. c. 10. ſuæ Hiſt. Pelag. *Hoc ſolum*, inquit, *noſtrum eſt, vt qui pro fragilitate idonei non ſumus, ſaltem quærendi, & pulſandi importunitate placeamus*. Imo ipſemet Noris c. 18. propè finem affirmat Fauſtum poſuiſſe initium Fidei ex viribus naturæ: quomodo ergo ait non expreſsiſſe diſertiùs quàm Vincentium initiale illud meritum in natura, cum hoc nunquam expreſserit Vincentius? Iam vero Semipelagiani quorum vnus è Principibus fuit Fauſtus, perſpicuè dicunt apud Proſperum in Epiſt. ad Auguſtinum. *Per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulſando*; & apud Hilarium. in ſua Epiſt. ad eundem Auguſt. *Nec negant gratiam, ſi præcedere dicatur voluntas, quæ medicum quærat*. Hæc ſunt ſanè diſerta, & expreſſa. Vbi in Vincentio ſimilia? Quo iure igitur vir Doctiſſimus negat ſuam diſertiùs Fauſtum expreſſiſſe, aut exprimere potuiſſe ſententiam, cum Vincentius ne illam quidem ſignificarit? Multum valet ad iudicandum in vtranque partem præocupatus affectu animus, cnm præiudicatum afferat id, de quo iudicare vult. Ego nunquam ſic de alijs iudicare me memini, nec mihi nimis arrogo, cum hoc ſit candoris, & fidei, non ingenij, aut ſcientiæ, quæ ſentio in me eſſe perexigua: imperitiæ, tarditatis, hebetudinis poterit me quiſquam arguere; maleuolentiæ, inuidię peruerſitatis, calumniæ nemo me, opinor, in cenſendis, ac reprehendendis auctoribus accuſabit.

Confirmo dicta eo quòd nunquam Auguſtinus talem gratiam perſonalem induxit, quæ auferret neceſſitatem petendi, quærendi, pulſandi, qualis eſt hæc, quam impugnat hoc loco Vincentius: immò contra cum gratia ſua ſpeciali coniunxit neceſsitatem peti-

tioni

tionis, orationis, & pulsationis, adeo vt hoc maximè contra Pelagium argumento eas probet. Bona, & merita nostra non esse ex viribus solius naturæ, quod ad benè operandum, & merendum petimus, & quærimus, & pulsamus per orationes, & preces virtutem, & facultatem, quæ si esset purè naturalis, minimè tanto studio peteretur. Nihil est in Augustini locis aduersus Pelagianos frequentius, manifestius, explicatius. Multa nos eiusmet testimonia protulimus in libro de Cortina, & lib. de Mente Innocentii X. & in scrinio Augustini: ac in primis in Concentu Euchologico, qui liber totus est contextus orationibus Ecclesiæ, & Augustini, nonnulla præterea attulimus in 1. tom. Collationum S. Thomę, & Scoti. Collat. 11. Different 4. Schol. 5. Docum 6. Noto breuiter aliquos. Epist. 107. lib. de nat. & grat. c. 18. libr. de grat. & liber. arb. libr. 5. contra duas Epist. Pelagian. Atque vt appareat quàm sit hac parte similis doctrina Augustini, & Vincentij inuito Lectores ad librum de dono Perseuerantiæ, qui maiorem partem compositus est ad affirmandam necessitatem Orationis; idque sæpe adstruit Augustinus ore Cypriani, cui adiungit Ambrosium, nec non Gregorium Nazianzenum. Quid? quod in hanc rem concinnat tractatum S. Cypriani de Orat. Dominica incipiendo à cap. 2. deducendo seriem vsque ad 8. cui subiungit Ambrosium, atque ambos simul laudat c. 19. vbi addit Nazianzenum. Illa vero personalis gratia erat Perseuerantia, quam in primis vult à Deo posci, & hic est scopus eiusdem libri. Quomodo ergo potest reprobari à Vincentio Augustinus, qui tantam ponit Orationis necessitatem, & in eo cum Vincentio sentit? imò &

author eſt prior eius neceſſitatis ? At ut omnino auferatur dubitatio, afferre volo locum Auguſtini eo in libro, qui ſit geminus huic loco Vincentij, vt qui ambos conferat, is eos comperiat mirificè conſentire. Cap. 23. lib. de dono Perſeuer. inducit neceſſitatem, & vtilitatem Orationis tum publicæ Matris Eccleſiæ, tum priuatæ ſingulorum fidelium, ac præmiſſo, Petitiones huiusmodi, & orationes procedere à Dei gratia, cuius etiam ſunt dona, remouet hæreſim Semipelagianorum ponentium eas eſſe merè naturales, & ante omnem gratiam, & ait. *Attendant quomodo falluntur, qui putant eſſe à nobis, non dari nobis, vt petamus, quæramus, pulſemus; & hoc eſſe dicunt quod, gratia præcedat merita noſtra vt ſequatur illa, cùm accipimus petentes, & inuenimus quærentes, aperiturque pulſantibus; nec volunt intelligere etiam hoc diuini muneris eſſe, vt oremus, hoc eſt petamus, quæramus, atque pulſemus*, quæ ſunt totidem & eadem verba Vincentij. Nec rurſum obijcias hunc loqui de orationibus naturalibus ante omnem gratiam, cum iam ante occupauerim negando ullum eſſe eius ſignificationis indicium in textu Vincentij; ſuſpicio eſt ea hominis contradicentis. Nvnc de nouo retundo. Si de his tantum naturalibus loqueretur Vincentius, non totum negotium ſalutis Diuinæ diſpenſationi, & Angelicæ protectioni tribueret. Quid enim opus erat quoquo modo petere, quærere, pulſare ſine gratia, aut ex gratia, ſi ſine vllo adminiculo ij Electi in Cælum euehendi, & beandi erant ? Non ergo de ſolis orationibus naturalibus, ſed etiam ſupernaturalibus Vincentius loquebatur, nec de Auguſtino impugnando cogitabat. Certè fungus, & truncus eſſet Vincentius, ſi crederet in oran-

do, & petendo, & pulſando, & operando ex gratia nullum eſſe laborem, nec ſtudium, nec induſtriam, & ſolum laborare, ac ſtudere, & fatigari eos, qui ex ſolis naturæ viribus orent, & operentur. Ecquis enim non videt Sanctos operam, & ſtudium, & induſtriam ponere in orando, in petendo, & pulſando? Macerant corpus, flagellant, affligunt etiam cum gratia Dei, ieiunijs, vigilijs, & miris modis ſe conficiunt, fatigantur, ſudant, gemunt, dolent, cruciantur, non expectant diſpenſationes Dei, nec protectiones Angelorum, imò leges ſibi duras imponunt, & vltra Dei præcepta, quæ obſeruant, conſilia quoque exequuntur, vt ſalutem ſuam operentur non manibus Angelorum euehuntur in altum ſine proprijs meritis otioſi, ac delicati, imò ſæpe cum Demonibus certant, & pugnant, & ab eis ceduntur, percutiuntur, torqentur, & ad Manes veluti deprimuntur, quemadmodum contigiſſe legimus Antonijs, Macarijs, Hilarionibus, Pachomijs, & alijs eiuſmodi. Omnes electi (dummodo ſint adulti) dicere poſſunt. *Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei. Arcta eſt enim via, quæ ducit ad vitam*. Intrant per anguſtam Portam. *Violenti rapiunt Cælum* Laborant, petunt, quærunt, pulſant præueniente illos gratia, & comitante. Immerito igitur Noris condemnat erroris Vincentium, cum is non exprimat particulam *Sine gratia* ſine quà ille particula condemnari non poterat. Nam Concilium Arauſicanum 2. Can. 6. ſic ait

*Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri diuinitus; non autem, vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, &c. resistit Apostolo dicenti. Quid habes, quod non accepisti? & gratia Dei sum id quod sum.* Ostendere debuit Noris locum vbi illa particula *sine gratia* expressa esset apud Vincentium Lirinensem vt iusta esset damnatio, cum autem nusquam illa sit nulla item erit damnatio. Absoluit igitur Concilium Arausicanum Vincentium, & notationem nostram confirmauit de petendo sine gratia quod est Semipelagianum, & de petendo cum gratia quod est Catholicum. Hac ratione exarmatur, & eneruatur ille Achilles P. Noris negando Vincentium Lirinensem de labore tantum, & oratione naturali sine vlla gratia eo in loco fuisse locatum.

## Caput V.

*Idem locus Vincentij à Patre Nori obiectus in eundem reijcitur, ac eo probatur teneri virum doctissimum iuxta suam propriã interpretationem alio in loco adductam in fauorem Gennadij absoluere Vincentium ab errore Semipelagiano: quemadmodum absoluit Gennadium.*

MIretur lector, sed non dubitet me quod polliceor effecturum. Magna est promissionis expectatio, eam tamen sustinebo. Non putarem inuenturum me esse in erudito aduersario, quæ pro me facerent aduersus eundem. Sed reperi, & mihi sum gratulatus, quòd reperi. Cum

proximam responsionem nixam illo discrimine orationum per naturam nudam, & per gratiam cum natura excogitassem, & ad liberandum à nota Semipelagianismi Vincentium adhibuisсem, legi accuratè quæ de Gennadio scripsit in hoc suo libr. 2. c. 16. P. Noris, & inueni hunc, quem eodem met Noris teste tum ibi tum in appendice c. 4. pag. 189. constat Semipelagiana labe infectum, ab eo ipso fuisse absolutum eadem prorsus ratione, qua Vincentius fuerat damnatus. Rem narro, in eo loco pag. 295. ponit argumentum contra Gennadium sumptum ex ijs, quæ docet libr. de Eccles. dogmat. de initiali merito naturæ, aitque propter illud condemnatum eum ab Ecclesia Lugdunensi Tom. 9. Biblioth. Patr. hoc modo. *Ex his Ecclesia Lugdunensi iam ab octingentis annis Gennadium Pelagiano dogmati consentientem arguit. Hominem inquit absque laboris sui studio ad Deum peruenire non posse, non est Catholicum, sed Pelagianum. Inuenitur in libello, cui titulus est Dogmatum Ecclesiasticorum quædam talis diffinitio, sed omnino vt alia nonnulla in eodem libello Pelagiani erroris est.* Adducit item Noris Iansenium apud Annatum eodem crimine accusantem Gennadium. Ecce germanus locus Gennadij requirentis laborem præcedentem auxilium gratiæ similem proximo Vincentij. Quid tum Noris? *Mihi*, inquit, *horum indicia non probantur, & in primis minimè Pelagianum est asserere homini ad salutem obtinendam necessarium esse laborem, si labor non ex solis naturæ viribus, sed ex gratiæ præuenientis virtute prodeat.* Ecce mea sententia nixa eodem intellectu laboris cum gratia distinguendo in Vincentio hunc sensum Catholicum ab alio Semipelagiano ex solis viribus naturæ. Probat autem suam illam in fauorem Gennadij ex positionem Noris Can. 25. Arausicano,

requi-

requirente laborem cum gratia, *quæ est*, subdit Noris, *ipsa Gennadii sententia, neque inde Semipelagianus vocari potest. Nam etiam cum eligimus bonum, præparatur voluntas à Domino*, & laudat Augustinum lib. de prædest. Sanct. c. 6. *cuius ententiæ*, ait, *Gennadius totus inhæret*. Pergit ostendere Gennadium in hoc sensu Catholico, non in altero Semipelagiano locutum fuisse. Itaque liberat hac ratione Gennadium, qua ego Vincentium liberaui. Nunc ad institutum. Accipio solutionem, & venio ad Vincentium Auctore P. Noris. Dicis, vir eruditissime, tutum esse ab errore Gennadium etiam dato, quod dicat requiri laborem ad salutem operandam, quia ex hoc non sequitur negare Gennadium auxilium gratiæ: igitur & debes dicere tutum esse ab errore Vincentium dicentem requiri laborem ad salutem operandam, cum ex eo non sequatur negare gratiam. Accipe vtrunque eodem, vt par est, modo: si vnum liberas, libera & alterum: imò ex duobus tenetur potius Noris liberare Vincentium, quàm Gennadium, quia Gennadius compertus est Semipelagianismi ex aliis scriptis, & argumentis, quemadmodum fatetur ipsemet Noris initio capitis, vbi *ex Semipelagianorum*, inquit, *laude, ac Prosperi reprehensione fuisse illum Semipelagianum, nullus iure inficias ibit*; Addit alias coniecturas, & statuit Semipelagianismo infectum; idque reperit in appendice c. 4. pag. 189. Nulla extant

hu-

huiusmodi contra Vincentium argumenta nec vlla alia indicia . Cur igitur damnatur à Noris ? quid ? quod Noris abſoluit Gennadium damnatum ab inclyta Eccleſia Lugdunenſi , damnat autem Vincentium à nullo præterquam à Voſſio, & aliquo alio prætereà Heterodoxo damnatum ? Æquius erat exponere locum illum Vincentij innocentis , ſaltem ambigui , mitiùs , eumque in meliorem partem accipere , quod non erat ſuſpecti auctoris , quàm illos locos Gennadii ſuſpecti , immò & comperti erroris . *Melior eſt in dubio conditio poſsidentis* . Ac ne reſpondere vnquam poſsit Noris ( acutus enim eſt , & cautus ) excuſando ſe , quod tantùm loquatur de hoc argumento adducto ab Eccleſia Lugdunenſi , & Ianſenio quod ſit depromptum ex illo libr. Dogm. Eccleſiaſt. vbi non potuit inueniri hæreſis , quòd erat ad Gelaſium ſcriptus , cuius reuerentia continebat ab errore Gennadium , occupo deffenſionem animaduertendo primùm me non intendere damnare Gennadium , ſed tantum oſtendere rationem , qua vtitur Noris in eo liberando pro Vincentio militare , deinde negando Gennadium nihil dixiſſe erroneum in eo libro , nam ſoler ter , & aſtutè miſcet venenum Semipelagianum , vt obſeruauit Eccleſia Lugdunenſis , &

plerique alii eum librum incuſantes, & ex Auguſtini Catalogo, vbi erat inſertus, expungentes. Hoc autem oſtendo ponderando locum, quem Noris ipſe laudat in defenſionem Gennadij, & in quo putat, cum Catholicè omnino ſentiret, Auguſtino conſentire. *Nullum credimus*, verba ſunt Gennadij, *ad ſalutem niſi Deo inuitante venire; Nullum inuitatum, niſi Deo auxiliante operari. Nullum niſi orantem auxilium promereri*. Hęc particula ſuſpecta eſt, & olet Semipelagianum venenum, *Nullum niſi orantem auxilium promereri*. En oratio præuia ex natura viribus ante auxilium gratiæ. Ea vox euertit, & peruertit reliqua. *Deo inuitante, auxiliante*, nempe præcedente inuitationem, & auxilium gratiæ, illa naturali oratione, qua inuitatur Deus, vt nos inuitet per gratiam præuenientem, ita vt omnia initium habeant ab illa naturali oratione. Viden, vt Doctrinæ Catholicæ ſubtiliter infuderit, & miſcuerit virus Semipelagianum? Nec illud eſt prætereundum Norim à Voſsio non auelli, tum damnando Vincentium, tum liberando Gennadium. Vtrobique eum allegat, & ſuæ vult habere auctorem ſententiæ, quamuis de Gennadio dubium ſe oſtendat, quem Noris fidenter abſoluere maluit hoc loco, cum tamen in alijs apertè damnaſset, quos ſupra notauimus, præcipuè in appendice, vbi caſtigat recentiores abſoluẽtes Gennadium, quibus opponit duos Cardinales damnantes, Baronium, & Bellarminum. Doleo vicem Vincẽtii, quòd innocens cõdemnetur ab iis, qui eum abſoluere debuiſsent. Verùm me, ſi quid iudicando valeo, auctore, minimè ea ignominia Semipelagianiſmi afficietur. Illud mihi gratulari debet, quod quem habuit ſuæ accuſationis au-

ctorem,

thorem, & eundem mea opera nactus est Patronum, & defensorem. Deleat igitur quæso Pater Noris quæ scribit in vindicijs c. 8. pag. 112. *Idem nempè Faustus lib. 2. c. 10. & ante ipsum Vincentius Lirinensis in Commonit. c. 37. scribunt nos posse nostris viribus petere, pulsare, quærere, vt Dei gratiam obtineamus.* Hoc enim sepè scribit Faustus: nusquam verò, & nunquam scribit Vincentius. Tenetur igitur conscientiæ nomine Noris famam Vincentio restituere.

## Caput VI.

*Ex verbis adiectis à Vincentio manifestè colligitur cuius errorem reprehendit, eum non posse esse Augustinum: in quem nullo modo quadrare possunt verba illa Vincentij.*

INspiciamus; & examinemus quæ Vincentius ait ab initio testimonij. *Iam vero illis, quæ sequuntur promissionibus miro modo incautos homines Hæretici decipere consueuerunt. Audent enim polliceri, & docere quod in Ecclesia sua, idest in Communionis suæ Conuenticulo magna personalis quædam sit Dei gratia.* Ne viuam, si hæc possunt in Augustinum quadrare. Nam hic hæretici dicuntur, & deceptores, qui à Vincentio impetuntur. An is eo nomine Augustinum afficeret, quem nemo vnquam ne inimicus quidem ea labe aspersit? Adeo vt, Gennadius quidē ingenio dicax, indole proiectus, secta semipelagianus, & Augustino infensus, cum de multiloquio Augustinum reprehenderet, sit ausus ei errorem impingere fassus nullam hæresis quæstionem dedisse. Itane vero, quem Innocentius I, quem Zosymus, quem

Bonifacius, quem Cælestinus Romani Pontifices in sua semper communione habuerunt, quem commendarunt, quem dilexerunt, quocum sua de fide Catholica decreta communicarunt, is Hæreticus à Vincentio diceretur? A quo totus Orbis Christianus, & ipsius Caput Pontifex Cælestinus, teste Prospero, responsa petebat, eũ Lirinẽsis Monachus, vel ante Monachatum Peregrinus Deceptorem appellaret? At non nouerat hominem. Fũcus ergo erat, & truncus Vincentius, non homo: oportebat eũ extra Orbem viuere, aut si esset, in aliquo gurgustio latitare. Non ignorabat ille Epistolam Cælestini, eam legerat, & laudes Augustini, & approbationem eiusdem Doctrinæ cognouerat: quem Cælestinus inter Magistros Ecclesiæ optimos recensuerat, eũ n auderet Vincentius Hæreticum vocare? Certè si sanus esset, si mentis compos suæ Vincentius, eo vocabulo abstinuisset: cum præsertim homo cautus, & pius, & circumspectus haberetur, ac id ipsum ex stylo Commonitorij deprehenditur. Quid quod Deceptoris nomen alienissimũ est ab Augustini ingenio cãdido, & sine fuco, & maximè sincero auctoris, qui perspicuè, & explanatè, ac enucleatè sensus suos exprimebat, qui ne quem falleret, opera sua subtiliter, & morosè recognouit, & quæ minus aperta, & plana videbantur, exposuit, ac si quæ minus vero similia videbantur, modestissimè rectratauit. Vt eum Vincentius talem qualem describit existimaret, silere debuisset, & ab ignominia temperare; nam cur homini celeberrimo tantam iniuriam irrogaret, & scripto publico infamaret? Præstabat iudiciũ calamumque suspendere, & cautiùs procedere, seque continere ne præcipitaret sententiam. Cum præsertim Cælestino Papæ se contradicere optimè

nosset,

noscet, cuius elogium de Augustino huiusmodi legerat. *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit, quem tantę scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter Magistros optimos etiam à meis decessoribus haberetur.* Hunc *sanctæ recordationis virum*, vita, & meritis clarum Ecclesiæ coniunctissimum extra omnem suspicionem erroris Magistrum optimum, Deceptorem Vincentius refractaria contumelia appellasset? Næ! ille dum ei has notas inurebat grauiores subibat cum Cælestini literas violaret, seque auctoritati Sedis Apostolicæ opponeret: nemo mihi persuaserit à Vincentio huius testimonii conscio potuisse Augustinum incusari; & cōtra sentientibus obijcio, ab eos ignominiæ notam insignem, dum tanto viro has calumnias attribuunt, Cælestino etiam irrogari.

Iam vero quæ subdit, *In Ecclesia sua, idest in suæ Communionis conuenticulo* mirum si ea possunt Augustino accommodari. In quemlibet Donatistam quadrare posse video, at in Augustinum Catholicum Episcopum acerrimum Donatistarum hostem quommodo aptari possint, non video: Nisi si tam nouus erat in Orbe Catholico Vincentius, vt Augustinum Donatistam putaret in aliquem angulum Africæ detrusum: & inde tanquam ex aliquo latibulo in lucem malignam quasi verecundantem, & contremiscentem prodire. *Ecclesia sua*, indicat sectam auulsam à communione fidelium, separatam à capite, prorsus acephalan *Conuenticulo* paruulum cœtum conspirantium aduersus Occumenicam Ecclesiam intra suum arctum, & angustum se orbem voluentium, secumque præciso cum alijs comercio habitantium. An tu quicum-

que legis de Augustino audeas interpretari ? *In conuenticulo* ? ille qui supra montem ciuitas eminebat, qui supra candelabrum accensa lucerna radiabat ? ille de sectariorum numero, quem Catholici sectabantur, qui statim ab adolescentia post baptismum celebrari ab Ambrosio, & Simpliciano Mediolani, à Paulino in Campania, ab Orosio in Hispania, à Sixto Romæ cœptus est. Illum iuuenem senex Hieronymus in Oriente admiratus, Clarissimum dixit ingenium: cum eo sensus de scriptura difficiles, & abditos participauit, ac eius disputationes contra Pelagium tanti fecit, vt ei tuendæ gratię, quam prius susceperat prouinciam imposuerit, & à prosequendo destiterit, quòd ab Augustino occupata essent meliora. Quis locus non plenus fama nominis Augustini ? Africam, quanta est, sua doctrina illustrauit, tot in ea Concilijs habitis interfuit, omnium mens, lingua, & manus. Episcopus ante ætatem, & vltra ætatem doctus Asiam victor hæreticorum non passibus, sed pennis Scriptorum suorum opera peragrauit; Eædem Europam peruagata vbique hophæa Christo Patris sapientiæ erexerunt. Quid: quòd Romani Pontifices grauissimas quasque fidei causas vel cum eo communicarunt, vel ei tractandas, & componendas demandarunt. Ille Manichæos, ille Donatianos, ille Pelagianos debellauit. Ille Iudæorum perfidiam, ille Arrianorum prouinciam refutauit, & eorundem reliquias extirpauit. Priscialinistarum error illo refellante labefactatus. Eum gratiæ vindicem, & propugnatorem Romana Ecclesia habuit, illius opera Pontifices pestem illam Pelagianam serpentem latè, & grassantem, & halitum

le-

letificum vbique inhalantem abegerunt. Innocentius I. in suis Epistolis ad Africanos Episcopus super causa gratiæ datis Augustini doctrinam probauit, & commendauit. Ei Zosymus Mauritaniæ Prouinciæ lustrandæ, & purgandę, & pacificandæ munus imponit. Ei Bonifacius Epistolas Pelagianorum erroribus, & calumniis refertas, refellendas misit. Eidem Cælestinus publicum, & sanctimoniæ, & sapientiæ præclarum per litteras testimonium dedit, eiusque de prædestinatione, & gratia doctrinam mirificè commendauit, & honoris, ac existimationis defuncti ratione habita eius celebre, & sacrum nomen ab inuidorum & maleuolorum iniuriis vindicauit, & illorum in posterum petulantiam refrænauit, & tamen hic apud Vincentium *in Conuenticulo* delitescebat. Apagesis, quicunque hoc tibi persuasum habes, & aliis conaris persuadere. Illud palmarium, quod ipsosmet Romanos Pontifices non semel ab imposturis Sycophantarum, & calumniis Hæreticorum vindicauit. Zosymum, quē Iulianus impius Campanorum Episcopus falso erroris rumore infuscarat, repressa illius audacia ab omni suspicione exemit. Sixtum antequam Pontifex esset, (Tertium dicunt) ab eiusdem infamiæ nota liberauit, eumque suis, idest doctrinæ Catholicæ armis aduersus Pelagianos hostes instruxit. Bonifacij famam, quam Iulianus obtentu schismatis Eulaliani denigrare tentauerat, asseruit, & obiecto simili Damasi ab Vrsicino appetiti exemplo refutauit, ac prouidit nę Schismata per audaciam perditorum hominum exorta electiones Pontificum infamarent. Hæc tā- ta, tamque gloriosa in Conuenticulo apud Vincentium

Augu-

Augustinus patrabat. Nimis certè erat stolidus Vincentius, si ignorabat, nimis maleuolus, si dissimulabat. Illud tamen ignorare non potuit euocatum eum à Theodosio Imperatore per literas ad Concilium Ephesinum, cuius ipse Vincentius hoc in suo Commonitorio disertè mentionem facit. Quo nullum illustrius de Augustini doctrina, & auctoritate haberi potest testimonium. Ipsimet Semipelagiani Massiliç, & in alijs partibus Galliæ apud Hilarium fatebantur; hoc vno excepto de prædestinatione ante omnia merita Augustiniano constituto, Augustinum *in factis, & dictis omnibus admirari*. In tanta nihilominus celebritate, in tanta luce, in tanta gloria vndecunque collecta, & per totam Orbis vniuersitatem diffusa vnus Vincentius cæcutiebat, & Augustinum ad remotum, & exiguum Conuenticulum redigebat. Rem indignam, ac incredibilem. Me certè pudet, cùm hæc verba Vincentij lego, & ad Augustinum conuerto, eo, quem vir doctissimus Noris vult, sensu accipere. Cogor enim mihi proponere ob oculos monstrosum quiddam, & adynaton, nempe clarissimum post Apostolos Ecclesiæ lumen Augustinum ex illo exiguo *Conuenticulo* tanquam ex aliquo gurgustio prodire inuoluto capite sordidatum, quo nihil ignominiosus, nihil absurdius excogitari potest. Indignetur Vincentius hoc sibi imponi, & fremat, & clamet,

*Non tam obtusa adeo gestamus pectora Galli,*
*Nec tam auersus equos nostris Sol iungit ab vndis.*

# Caput VII.

*Quæ scribit Vincentius contra Pelagium, & huius Hæresim, longe abfuisse eum à Semipelagiano item errore, & Augustino consensisse persuadent. Reijcitur sententia Noris negantis Pelagium nouisse vllam excitantem gratiam interiorem. Vindicatur ab eius nota Baronius. Eiusdem interpretatio de nomine Albini, & Melaniæ refellitur qui fuerint Albinus, Pinianus, & Melania exponitur.*

ANtequam veniam ad tertiam P. Noris coniecturam deductam ex interpretatione verborum Cælestini, cui ille cum suo Vossio (quando ei assentiri maluit) refragatur, necesse est quid de Pelagio, ac eius hæresi Vincentius senserit, afferre, ac examinare; multum quippe conducet ad intelligentiam mentis Vincentii tum circa errorem Semipelagianorum, tum circa interpretationem Epistolæ Cælestini, quemadmodum constabit, cum ad refutandam eam, quæ Vossii, & Noris est accedemus. Primùm igitur de Pelagiana hæresi sic; *Contra*, inquit *clamant Ranę quædam, cyniphes, & muscæ morituræ: quales sunt Pelagiani*. Mox de illorum Dogmatibus *Horreo dicere sunt tam superba, vt mihi non modo affirmari, sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur*. Rursum alibi. *Quis enim vnquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrij, vt ad hoc in bonis rebus per actus singulos adiuuandum necessarium non putaret*. Attigit scopum Pelagianæ hæresis Vincentius, & expressit, ac exprimendo docuit se non esse Semipelagianum. Liquet damnari ab eo Pelagii superbum errorem, quòd dixerit gratiæ adiutorium non esse necessarium. Ad sin-

gulos actus bonos: igitur contrà sentiebat, nimirum gratiam esse necessariam ad singulos actus bonos; sed in his numerantur petitiones, orationes, pulsationes, & preces ad Deum, ergo ad eas concedebat Vincentius adiutorium gratiæ: non erat igitur Semipelagianus: nam Semipelagiani non damnabant Pelagium in eo, quod ad singulos actus; bonos negabat gratiam, cum ipsi eam etiam negarent ad primos illos actus petendi, quærendi, & pulsandi, sed quod ad omnes etiam maiores, & vlteriores gratiam denegabat. Partim itaque sentiebant cum Pelagio negantes adiutorium gratiæ ad illos singulos primos actus, quos in facultate naturæ nuda ponebant: partim dissentiebant admittentes antecedentem gratiam necessariam ad reliquos actus consequentes. Ex quo fit, vt Vincentius condemnans Pelagium, quòd negabat gratiam ad singulos actus non erraret cum Samipelagianis, sed cum Augustino, & Catholicis sentiret. Perspicuum id, opinor, est, & cuique legenti obuium. Quid hic Noris? confugiet ad suum, quem laudat, Censorem Vossium, & serum ab eo auxilium postulabit, & vtrunque suæ opinationis pænitebit. Præterea odium Vincentij in Pelagium illo conuicio *Muscæ morituræ* expressum, indicat eum Semipelagianis minime adhæsisse, qui sanè Pelagio conniuebant; in eius quippe errorem relabebantur, dum naturam per se valentem ad multos actus, ac inter eos ad primam fidem adstruebant, & gratiam reddi meritis affirmabant, meritis, inquam, à nuda natura profectis. Hoc autem obseruauit Prosper in sua ad Augustinum Epistola initio, dum ait: *Ne tam claris, tamque egre-*

*ijs viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat* . Et iterum circa finem . *Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocetur, si Diuinæ voluntati impiè voluntas humana prefertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit, non ideò quia gratia adiuuatur, velit* . Certè hæc Pelagiana sunt dogmata communia cum Semipelagianis, à quibus abhorrebat Vincentius, dum superbiam illorum dogmatum exhorrescebat: *Horreo dicere, tam sunt superba* . Hoc argumentum efficax esse videtur ad refellendas coniecturas Vossij , & Noris , estque manifestum in textu, ad quem ipsi prouocant, Vincentij ; eoque retundo iactantiam Noris aientis . *Id ex eiusdem verbis euincam* : cùm oppositum nos ex ijs euincamus : nam quibus Vincentius proscribit hæresim Pelagii , ijsdem Semipelagianorum errores proscribit, & superbiam vtrorunque dogmatum condemnat .

Obiter hic mihi monendus est P. Noris, quòd mentem Pelagij de adiutorio gratiæ non attigerit, dum libro primo suæ Historiæ Pelagianæ cap. 15. initio castigat eos , *qui putant Pelagium veram gratiam agnouisse, quæ speciale auxilium esset humanæ voluntati cęlitùs donatum, intusque eandem mouens , sed inde errasse quod ad facilius operandum gratiam illam tantùm necessariam esse voluerit* . In hoc enim ille castigandus venit; cum constet Pelagium tres status errandi habuisse . In primo negauit omne auxilium gratiæ . In secundo admisit legem, atque doctrinam, eoque fucum fecit simplicibus, & candidis hominibus . In tertio cõcessit gratiam ordinariam excitantem [ de hac enim loquimur ] quæ tamẽ nõ esset omnino necessaria, sed tantùm ad fa-

cilius operandum. Hi autem status cogniti sunt hominibus in Augustino versatis, eosque ego dilucidè n meis de Augustini doctrina operibus sæpe proposui; præsertim in Scrinio Augustini; quos libros si P. Noris legisset, secus de erroribus Pelagij iudicasset; verùm hoc est condonandum homini Chronologi potius personam, quàm Theologi agenti. Ac ne quid dubitet de mea fide, legat Epistolam 106. Augustini prope finem, inueniet expressum testimonium Pelagij agnoscentis gratiam interiorem excitantem vltra legem, ac doctrinam, requisitam tantùm ad facilius operandum, quam ita ibi proponit, & refutat Augustinus, vt refutando doceat gratiam illam ad facilius operandum esse veram gratiam, nec eam negat posuisse Pelagium; sed tantum negat eam esse necessariam solùm ad operandum faciliùs, cùm probet simpliciter esse necessariam contra eundem; quem locum affert etiam P. Vasquez in prim. part. Disput. 89. c. 4. num. 21. & 22. Mecum sentit de ista gratia vltra legem, & doctrinam Iansenius lib. 6. de Hæresi Pelagian. c. 1. & seqq. quamquam nimium dicat; melius sentit Gonetus Tom. 9 de grat. Disput. 1. Articul. 5. sunt alij in Augustino loci; qui plures velit legat librum primum de gratia Christi cap. 27. 28. 29. Inueniet expressum adiutorium veræ gratiæ requisitum solum ad facilius operandum. Et quidem illud adiutorium legis, ac doctrinæ non erat accommodatum ad facilius operandum, si nullum aliud vlterius gratiæ adiutorium Pelagius adhibuisset; cùm lex, & doctrina monstrent tantùm quid agendum sit, non iuuent autem ad agendum, immò difficultatem præcipiendo augere soleant, quod proprium legis est

sine gratia iubentis, & vetantis secundum Pauli doctrinam, quo nihil est in Augustino frequentius. Igitur cum Pelagius de facilitate agendi loquebatur, eamque adiutorio gratiæ tribuebat, non de lege, ac doctrina, sed de veræ gratiæ vltra illas adiutorio loquebatur. Illud verum est Pelagium gratiam efficacem non agnouisse, nec admisisse, quòd putaret eam non posse cum libertate consistere. Alteram autem communem & ordinariam gratiam excitantem agnouit tandem in tertio illo statu, & admisit ad faciliùs operandum: ita tamen, vt omnino necessariam esse negaret, cùm sine ea possit natura absolutè, & simpliciter operari. Vellem, vt P. Noris vocabulum illud suum *speciale auxilium*, dum de Pelagiana gratia meminit, deleuisset; nam ambiguum reddit sensum, cum vox *speciale auxilium* significet certam quandam gratiam *efficacem*, quam Pelagius denegabat; quo sensu malè attribuitur Pelagio; præstaret dicere veram gratiam aliquam agnouisse, vt eo nomine communis, & ordinaria intelligeretur, quam idem Pelagius ad operandum faciliùs admittebat. Copiosiùs de hac materia in scholis disputabo: scio enim nonnullos nomine Doctrinæ comprehẽdere Fidem, qui certe debẽt admittere veram interiorem gratiam, non solum ex partè intellectus, sed etiam voluntatis cum interueniat, imo antecedat pia affectio ad quam gratia vera interior requiritur. Sed ecce vt molestum hoc opus lepore aliquo, & sapore condiam, incido in locum Noris, in quo desidero Grammaticam. Expendens nomina eorum, quibus Augustinus dedicat librum de gratia Christi, quæ huiusmodi sunt *Albine, Piniane, Melania* improbat Cardinalem Ba-

 ronium,

ronium, quòd pro *Albine Albina* ſubſtituendum eſſe arbitratur ( erat enim Albina Piniani ſocrus, niſi, addit Baronius, *præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius* ) neuter modus placet Nori, ne videlicet ponatur ſocrus eo nomine *Albine*, quod maſculinæ terminationis eſt, nec *Albine* retineatur, quod non conſtet filium eſse Albinum. Equidem initio haud probabam nomine *Albine* ſignificari filium Piniani, & Melaniæ, ne præponeretur filius parentibus. Placebat aut mutari nomen *Albine* in *Albina*, vti vult Baronius, vt ſit *Albina* ſocrus, aut retineri Albinum pro ſocero, aut auo vnius duorum Piniani, & Melaniæ :. & hoc arridebat magis. Itaque retinebam *Albine* pro viro neceſsario Piniani, & Melaniæ, quicumque ille demum eſset. Audire tamen Norim volui; nouum hic acumen Grammaticæ inuenit lepidum ſanè, ac iucundum, eoque conatur refutare ſententiam Baronij, & nodum ſoluere.: hac ratione. Retinendum eſse nomen *Albine* maſculinæ terminationis, eoque ſignificari fæminam ſocrum Piniani, vel Melaniæ: perinde enim eſse *Albine*, ac *Albina* in Vocatiuo, ſicut & Albinus & Albina in Nominatiuo. Affert rationem ſubtilem : *Ea ætate*, inquit, *fæminæ maſculina nominis inflexione a viris doctis nominabantur: ita* inquit *Paulæ filia non Euſtochia, ſed Euſtochium dicebatur. Sanctus Paulinus Epiſt. 249. apud Auguſtinum Melaniam Melanium nuncupauit. Et Hieronymus Epiſt. 79. ait: Albinus, Pinianus, Melania ſalutant vos. Alibi Auguſtinus Epiſt. 124. & 125. Albinam dixit. Hæc adnotaui ne quis cum Baronio Albinum filium Melaniæ fratrem ſine teſte ſupponeret*. Mira certè ratio exponendi noua, & incognita antiquis Priſcianis, & Donatis,

& nuperis Despauterijs, & Nebrissis, quam nulla tempora tulerunt, vt libera esset nominum inflexio. & promiscuè masculina, & fæminina declinarentur; atque adeo Albina pro Albino, & Melanius pro Melania poneretur. Exemplum Eustochij ab re est, cum Eustochium fuerit nomen proprium Virginis Paulæ filiæ, quæ Eustochia dici non potuit, cum Eustochium deberet, quemadmodum nec Glycerium apud Terent. in Andria Glyceria vocari potuit; erant quippe certa nomina terminata in vm quæ tum virorum, tum fæminarum propria erant: puta Dynacium, Pegnium virorum; Eustochium, Glycerium fæminarum. Non erat igitur libera, nec promiscua illa declinatio, sed necessaria Grammatices constructio; quemadmodum erant etiam nomina uirorum fæmininæ terminationis, ut Fimbria, Cæcinna, Spurina, Catilina, quæ non quadrabant nisi in viros. Sic & latinitas, & ætas illa iubebat. Itaque non licebat Albina pro Albino, neque Melania pro Melanio usurpare, sicuti nec licuit, licetue Catharinam, & Agatham pro masculis sumere. Erat illa certorum nominum notio, quemadmodum obseruant Grammatici, à quibus Noris dissentit ab Orbilio castigandus, nec Baronio timendus, quem obiter pungere voluit, & ego uin dicare. Sed mittamus hæc exilia, quamquam non contemnenda, ne uideamur in titiullitio immorari. Examinemus personas, quibus opus illud suum Augustinus dedicauit, & uter nostrum melius sentiat, experiamur. Inscriptio, est *Albine, Piniane, & Melania*. Baronius mutat *Albine* in *Albina*, & mendum putat, non tamen improbat *Albine* pro-

filiio

pro filio Albinæ, vt ſit ſenſus *Albine* vir. Noris ait *Albine* retinendum, eoque nomine ſignificari fæminam pro illius ætatis licentia ob rationem proximè adductam. Ego contrà ſentio omnino legendum *Albine* maſculini generis, ac id elicio ex verbis Auguſtini. Quippe ait *ſinceriſsimi fratres, dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania*, quod nomen *fratres* ſignificat maiorem partem maſculos eſſe, & Epitheta confirmant *ſinceriſſimi, Dilecti*; quòd ſi duæ fæminæ eſſent minus aptè dicerentur. Iuuat hunc ſenſum Hieronymus Epiſtol. 79. *Sancti filij communes Albinus, Apinianus, & Melania vos ſalutant*; eſtque momentum in Epiſtola:que ſcribitur ad Alipium, & Auguſtinum. *Sanctos filios* dicit, quo ſignificat plures eſſe viros. Quis autem eſset ille Albinus, latet, Ego tamen exiſtimo fuiſſe aut Patrem, aut ſocerum, aut Patruum, aut Auunculum Piniani, vt ſit maior natu, & propter ætatem primas vendicet. Addo Auguſtinum Epiſt. 227. ſcribere *Albino, Piniano, Meliano*, qui videntur eſſe ijdem, quos nominauimus, niſi in *Meliano* mendum ſit, ac legendum ſit *Melaniæ*. Itaque mihi penè perſuaſum eſt Albinum eſſe retinendum, vt virum ſignificet. Dico *penè*, quia remoratur me Epiſtola eiuſdem Auguſtini 225. in qua ſcribit *Albinæ famulæ Dei*, cuius filium dicit Pinianum, & ibi Sanctam Melaniam bis nominat, tanquam tertiam, eſt autem Epiſtola ſcripta ſuper ordinatione Piniani; nam hæ tres perſonę videntur eſſe illæ, quibus librum illum dedicauit, cum omnino nomina conueniant. Vnde roboratur coniectura Baronii ſubſtituentis *Albina* loco Albini. Verùm non idcirco demoueor à mea ſententia, &

ſtatuo

ſtatuo Albinum eſſe retinendum. Ac ne quis ſcrupulus remaneat, examinemus id, quod ait Noris Paulinum Epiſt. 299. inter Epiſtolas Auguſtini Melanium pro Melania poſuiſſe; quo ille exemplo ſuam de permixtione nominum eius ætatis opinationem confirmat. Sic enim loquens de planctu Melaniæ ſuper morte filij, *Ceſſo*, inquit, *plura de memoria tam dilecti mihi, quam deuoti Chriſti nominis enarrare: cum & priſtinis litteris non pauca ſuper eo enarraſſe me repetam, & nihil poſſim de beata huius filij matre, & ſanctorum patre radice ramorum Melanio melius, aut ſanctius prędicare, quam Sanctitas tua in eam profari, & diſputare dignata eſt*. Exiſtimat eruditiſſimus Noris poni Melanio pro Melania. Fefellit illum, quòd putauit illud *Melanio* Melaniæ eſſe attribuendum, & vnam hic tantùm perſonam ſignificari; hoc eſt Matrem Melaniam, ad quam referendum erat nomen *Melanio*, præſertim cum ſequatur in Paulino, *quam ſanctitas tua in eam profari, & diſputare dignata eſt*. Verum duæ hic perſonæ nominantur, Mater, & filius, Melania, & Melanius. *De beata* inquit *matre*: ecce vna. Et *ſanctorum patre radice ramorum*; ecce altera, ideſt Melanius, quem *patrem* dicit *filiorum* uiuentium; itaque nō ſubſtituitur Melaniæ Melanius, ſed eſt nomen, & perſona diſtincta. Niſi ſi forte Noris velit, vt vox *Patre* conueniat matri Melaniæ, ac ſicuti nomina, ita etiam ſexus commutentur. Non eò hæc dico, quòd uelim conuicium facere doctiſſimo uiro, mihique amiciſsimo, ſed ut aliquid dem lepori, & ſalibus, quibus interdum ſcripta moleſta, & inſipida ſunt condienda. Meus hic eſt mos, & genio ducor; nec refuto, quę reponi poſsunt; audiam ſine ſtoma-

cho, quæ ſine aculeo dico. Cæterum hominem & colo, & veneror pro ſua inſigni literatura. Leuia ſunt hæc, fateor, & exilia; verùm aliquod momentum habent ad perſuadendum, qui in his falli potuit Noris, eum in alijs falli etiam, in quibus eſt hoc de Vincentio iudicium, potuiſſe.

## Caput VIII.

*Coniectura Patris Noris ſumpta ex verbis Epiſtolæ Cæleſtini expenditur, refutatur, retorquetur. Artes Voſſij interpretantis eundem Epiſtolam, quas Noris probat & ſequitur, deteguntur.*

MAioris erit hæc cùm ſtudii, tum molis diſputatio, quòd longius & accuratius hoc argumentum moliuntur Voſſius & Noris ad ſubruendam Vincentii fidem, & Semipelagianum ei errorem affingendum. Incidam in membra quæ in vaſtam molem Noris coagmentauit: vt pateant omnia legentibus. Res eſt magnæ expectationis, tum quia omnes alij ante Voſsium, & Norim ſcriptores hoc loco Vincentij moti, ſiniſtram de eius errore ſuſpicionem aboleuerunt: in quibus ſunt Baronius, Vaſquez, Suarez; tum quia agitur de interpretatione Epiſtolæ Pontificiæ, quæ ſi ea eſt, quam Vincentius affert, vt affirmant Voſſius, & Noris, turbare multos poterit, cùm præſertim, & tanti auctoris ſit, & hi duo ſcriptores ſic eam roborent, dum ſuam in ea coniecturam fundant, vt videantur quodammodo approbare, & cum ipſomet Vincentio ſubtiliter interpretando anſam præbere mentem Pontificis detorquendi; quod ſi eſt verum veró ſimile

item

item erit Cælestinum non esse defensorem Augustini & Prosperi, sed quodammodo præuaricatorem. Quare pluribus agendum ne quid suspecti aut sinistri in Epistolam Sanctissimi Pontificis eo astu irrepat. Primùm dicam reponendo Vosio, & Nori. Si arte vsus est Vincentius ad verba Cælestini detorquenda, maiori eos arte vsos fuisse ad eam interpretationem Vincentio affingendam. Ac illud paulum deflexum Platonis dictum ad Diogenem illius fastum calcantē refero ad Norim, dum aienti, *detexi artem Vincentii* respondeo: *detexisti, sed maiori arte*. Hoc habent suspiciosi, vt qua semel sunt imbuti opinione, eam multis coniecturis iuuent, foueant, & muniant, vt suscepto studio reddant probabilem, ne temerè suspicari videantur.

Constat Cælestinum Papam desiderio tuendi doctrinam de Prædestinatione, & gratia Augustini, & refrenandi quorundam Gallorum, qui eam calumniari audebant petulantiam, literas ad eos dedisse, in quibus & probat, & commendat sanctitatem, & doctrinam Augustini, quam nos Epistolam in nostro concentu Euchologico repræsentauimus, & qui de illa scripserunt auctores, eos accuratè recensuimus, & inter eos primum Vincentium Lirinensem numerauimus. Et quidem Photius in sua bibliotheca iure dixit Cælestinum scripsisse ad Episcopos Galliæ de *fide Sancti Augustini*, quòd in ea de doctrina Fidei ageretur. Hanc nemo non putat testimonium esse pro doctrina Sanctissimi Patris irrefragabile; adeo vt qui argumentando rationes proposuerant dubitandi de mente Vincentii, ea lecta dubitationem deposuerint: ac prorsus decreuerint ab omni suspicione liberum esse Vincentium. Ita Baronius Anno 431. Vasquez to. 1. in 1. p. d. 91. c. 3. n. 43, Suar. to. 1. de grat. Prologo 5. c. 5.

Produco particulas eius Epiſtolæ. Igitur cap. 2. *Auguſtinum Sanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus vt inter magiſtros optimos etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in cõmune ſẽſerunt vtique, qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori. Vnde reſiſtatur talibus quos male creſcere videmus.* Qui uero eſſent hi tractatores declarat infra. *Quia nonnulli qui Catholico nomine gloriantur in damnatis hæreticorum ſenſibus, ſeu prauitate, ſiue impietate demorantes pijſſimis diſputatoribus obuiare præſumunt. Et cum Cæleſtium atque Pelagium anathematizare non dubitent Magiſtros tamen noſtros tanquam neceſſarium modum exceſſerint obloquuntur.* Huius Epiſtolæ particulam Gregorius Papa VII. in Decretis cap. 4. adducit.

Audiamus nunc Patrem Norim. *Verum,* inquit lib. 2. de Hiſt. Pelag. c. 11. pag. 244. *quanta arte idem Vincentius Cæleſtini litteras aduerſus Semipelagianos in fauorẽ Proſperi, & Hilarij datas contra eundem Proſperum, ſocioſque vana quidem, ſed arguta interpretatione detorqueat videamus. Igitur poſt circa finem libri, quò vetuſtatem ſemper preferendam oſtendat, poſt Sixti viuentis decretum deceſſoris Cæleſtini ſententiam profert. Sed & Sanctus Papa Papæ Celeſtinus pari modo, eademque Sententia. Ait enim in Epiſtola quam Galliarum Sacerdotibus miſit arguens eorum conniuentiam, quod antiquam fidem ſilentio deſtituentes profanas nouitates exurgere paterẽtur. Merito, inquit, cauſa nos reſpicit ſi ſilentio foueamus errorem: ergo corripiantur huiuſmodi: non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem. Hæc eſt illa celebris Cæleſtini Epiſtola qua Sanctum Auguſtinum miris præconijs effert, vti pluribus dictum eſt ad annum. 432. Hæc cum legiſſet Baronius in notis ad diem 24. Maij ſcripſit. Hic non tantum non impugnauit defenſores Sancti Auguſtini, ſed magnopere laudauit. Nam in libro quem ſcri-*

*sit aduersus hæreses c. 43. vehementer commendauit Cælestini Romani Pontificis Epistolam in defensionem scriptorum S. Augustini datam ad Episcopos Galliarum aduersus eos qui tanti Patris doctrinā ausi fuerant impugnare. Verùm hic scriptor qui Faustum Abbatem vulpeculam dixit in annalibus ad annum 490. Vincentij sub eodem Monachi, vt volunt, artem non detexit.* Pergit Noris fateri se initio ex hac Epistola laudata à Vincentio liberum eum à Semipelagianismo existimasse, & addit. *Sed dum sequentia attentiùs legi Vincentij artem noui. Hic aliquis fortasse addubitet, qui nam sit illi quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis prædicatores, an nouitatis inuentores? ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissoluat.* Hic Noris suum acumen promit, & arte sua artem Vincentij detegit, & exponit mentem Vincentij, vt sit sensus Cælestini, hos qui *liberum habeant pro voluntate sermonem* esse Prosperum, & Hilarium, non autem illos Semipelagianos Gallorum, quorum conniuentiam contra antiquam fidem corripiebat Celestinus, & vertit reprehensionem in Prosperum, & Hilarium, qui eos apud Pontificem accusabant. Rursum Noris. *Itaque Vincentius vrget qui nam sint illi quos Cælestinus iubet ne libere loquantur ex ipso Cælestino cognoscendum. Sequitur enim: desinat si ita res est, idest si ita est, vt apud me quidam vrbes, & prouincias vestras criminantur, quod eas quibusdam nouitatibus cōsentire noxia simulatione faciatis. Desinat itaque, si ita res est, incessere nouitas vetustatem.* Tunc Noris. *Vides quomodo Prosperum, & Hilarium despicit. Inducit enim Cælestinum dicentem de illis, vt apud me quidam criminantur: cum tamen Cælestinus non vago quodam nomine, sed proprio illos cum laude appellet: filij nostri præsentes Prosper, & Hilarius, quorum circa eum solicitudo laudanda est; at hos quos Pontifex laudat Vincentius vocat criminatores.* Inde deducit Noris eos duos esse, qui auctore Vincentio prohi-

bentur *liberum pro voluntate habere sermonem*, idest criminari, & accusare Semipelagianos. Progreditur Noris. *Prosper & Hilarius Cassianum, & Faustum, & ipsum etiam Vincentium, paucosque insuper alios, [quos omnes fuisse presbyteros ex nostra historia patet, in qua ex testimonijs veterum id sæpe insertum est] apud Cælestinum accusarunt, quod Sancti Augustini doctrinam iniurijs lacesserent. Audiatur Cælestinus. Filij nostri præsentes Prosper, & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant sunt apud nos prosecuti, vt indisciplinatas quæstiones vocantes in medium pertinaciter eos dicant prædicare aduersantia veritati. At Vincentius quò contra Prosperũ integræ non modo urbes, sed & Galliarum prouinciæ stare crederentur fingit illum criminatum fuisse vrbis & prouincias. Ita ne Vincenti* (exclamat Noris) *nescio quos presbyteros vrbes, & prouincias vocas? Prosper & Hilarius non Episcopos accusarant quòd Gallicanas prouincias quibusdam nouitatibus consentire noxia simulatione facerent, vt perperam scribit Vincentius, quo duos illos Lirinensium, at Massiliensium delatores in Episcoporum inuidiam trahat; sed nescio quos presbyteros detulerunt; at ipsius Cælestini sẽtentia fuit Episcopis eos tumultus imputandos. Sed vestræ*, inquit, *dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum, hoc est non sibi debere quemquã ad iniuriam doctorum vindicare doctrinam.*

Paulo post prosequitur Noris. *Rursum Vincentium collusionis cum Fausto suo Abbate alio argumento reum ostendo quod postea à Vossio vidi etiam annotatum. Cur enim Vincentius intra vnum, & alterum versum reponit si ita res est, vt apud me quidam vrbes, & prouincias vestras criminantur, quod eas quibusdam nouitatibus consentire noxia simulatione faciatis. Vrgendo toties illud. Si ita est falsem se denotare significat Prosperi, & Hilarij delationem, seu Pontificem literas illas nõ misisse innixas tantum delationi illorum de cuius veritate haud diligentius quærere insuper volens illa verba inseruit; si ita res est*, quæ forte *toties Prospero veluti in faciem illidit vt accusatorem in Cælestini decreto perperam gloriatum ostendat. Tandem Vincentius suismet veluti armis Prospero retecto exclamat.*

*mat: Ergo hæc fuit Beati Cælestini sententia non vt vetustas cessaret obruere nouitatem: hoc est non vt nos qui veterem sententiã aliorum Patrum sequimur cessaremus obruere nouitatem Augustinianæ opinionis, sed potius nouitas desineret incessere vetustatẽ; nempe potius noua Augustini, & sectatorum Prosperi, & Hilarij doctrina desineret incessere vetustatem sententiæ Cassiani, Fausti, & nescio quorum presbyterorum*. Concludit Noris. *Quis ad ista non hæreat? nam eo ipso loco vbi Baronius, Vasquez, & Suarez, & fere omnes putarunt defendi ab illo Augustinianæ doctrinæ sectatores, hos ipsos criminatores vrbium, ac prouinciarum vocat, Cælestini Pontificis uerba arguta arte præuertit, atque contra illos eiusdem sententiam detorquet in quorum fauorem lata fuit. Hæc de comonitorio Vincentij nostra sententia est.*

Necessarium duxi totam hanc ratiocinationem Noris exhibere, vt constet quanta subtilitate, & accuratione vtatur in Vincentij sententia ad suum arbitrium componenda: certè multo plures & operosiores machinas adhibet ad eam adstruendam quàm Vincentius adhibere posset ad formandam. Omnia sunt subtiliter excogitata, & suscepto studio composita ad suspicionem afferendam, ut nequà Vincentius elabi queat, & omnino intra casses teneatur. Vide, Lector, quos circuitus, quos mæandros, quos labyrinthos struxit Noris, ut Vincẽtius caperetur, & captus, & clausus exire non posset. Suspecta mihi uisa fuit tam studiosa, & affectata compositio. Non erat tantis molibus, nec machinis oppugnanda tam breuis, tamque perspicua Vincentij opinio. Vt esset Arx illa, non erant ad eam concutiendam tot arietes, tot catapultæ, tot machinamenta ad mouenda, in quibus multo plus est operis, quàm in arce illa præ illis molibus exigua condenda. Igitur explanabo rem, & verba Vincentij candidè, ac sine fuco, & fallacia sano sensui reddam, & omnes illas suspicionum turbas remouebo.

# Caput X.

*Proponitur ingenuè, & candidè Vincentij Lirinensis de Epistola Celestini verum, sincerumque iudicium rem Augustini continens, & à fallacijs Vosij & artibus Noris vindicatur.*

CApite quadragesimo tertio Vincentius Lirinensis postquam nouitates Hæresum, & nominatim Nestorij condemnauit, eo semper nomine, quòd nouitates essent, adducit duorum Pontificum Sixti tum viuentis, & Cælestini paulò ante defuncti sententias in hunc modum. *Quæ omnia licet cumulatè, abundeque sufficerent ad prophanas quasque nouitates obruendas, & extinguendas, tamen nequid deesse tantæ plenitudini videretur, ad postremum adiecimus geminam Apostolicæ sedis auctoritatem: vnam scilicet sancti Papæ Sixti, qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat: alteram præcessoris sui beatæ memoriæ Papæ Cælestini, quam hic quoque interponere necessarium iudicauimus. Ait itaque Papa Sixtus in Epistola, quam de causa Nestorij, Antiocheno misit Episcopo. Ergo, inquit, quia, si ut ait Apostolus, fides vna est, quæ euidenter obtinuit dicenda credamus, & tuenda credamus. Tandem illa tenenda, & credenda prosequitur, & ait: Nihil vltra, inquit liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati: Perspicua maiorum fides, & credulitas, nulla cœni permixtione turbetur, omnino Apostolicè; vt maiorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret, nouitias vero prophanitates cœni permixtione describeret.* Tum pergit afferre Cælestinum: *Sed etiam, inquit, Sanctus Papa Cælestinus pari modo eademque sententia. Ait enim in Epistola quam Gallorum Sacerdotibus misit arguens eorum conniuentiam, quod antiquam fidem silentio destituentes prophanas nouitates exurgere paterentur.*

*ter ntur. Merito, inquit, causa nos respicit si silentio foueamus errorem. Ergo corr p antur huiusmodi, non sit ijs liberum habere pro voluntate sermonem. Hic aliquis fortasse addubitet, qui nam sint ii quos habere prohibeat liberu pro voluntate sermonem vetu atis prædicatores, an nouitatis ad inuentores? Ipse di at & dubitationem legentium ipse Celestinus dissoluat: sequitur enim desinant inquit, si ita res est vt apud me quidam vrbes & prouincias criminantur quod eas quibusdam nouitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis desinat* inquit, *si ita res est incessere nouitas vetu atem. Ergo hæc fuit Beati Cæleſtini beata sententia, non vt vetustis cessaret obruere nouitatem, sed potius nouitas desineret i cessere vetustatem. Quibus Apostolicis, Catholicisque decretis quisquis refregatur insultet primum omnino necesse est memoriæ Sancti Cæleſtini, qui statuit vt desineret incessere nouitas vetustatem. Deinde irrideat d fi ita Sancti Sixti, qui censuit ne vltra quidquam liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati.* Fateor me nullam hic artem, aut imposturam Vincentij inuenire. Candidè loquitur, & ego candidè accipio. Attende Lector. Vincentius habet pro instituto vetustatem asserere, nouitatem explodere. Ait ergo ad institutum. Cælestinus pari modo, eademquè sententia cum Sixto, quem sine fuco laudauerat, vt idem ambo sentiant, arguens conniuentiam sacerdotum Galliæ in dissimulandis prophanis, quæ exurgebant, id temporis, nouitatibus, quas nomine erroris appellat: quæ autem nouitates illa essent patet, nempe Semipelagianorum, & qui aduersus Augustini doctrinam insurrexerant, de quibus dixerat c. 2. Epistolæ. *Vnde resistatur tal bus quos male cr scere videmus.* *Celestinus Crescere*, dixit, cum dixisset item *exurgere*. Hi erant ipsimet Semipelagiani quos notauit ibi. c. 2. *in damnatis Hæreticorum sensibus siue prauitate, siue imperitia demerantes*

*piissimis disputatoribus obuiare præsumunt*. Tenemus ergo de quibus nouitatibus loquatur Cælestinus, de quibus eum intelligat Vincentius. Iijs retentis pergit Vincentius cum Cælestino. *Corripiantur huiusmodi*, idest Semipelagiani obuiantes pijssimo disputatori Augustino, ne liberum habeant sermonem contra doctrinam Augustini, ne ve ei obuient, aut obloquantur. Damnat in iis & silentium in dissimulandis erroribus, & reprehensionem veræ, ac vetustæ, quæ erat Catholica, & Apostolica, Augustini doctrinæ, & quia non videbatur liquere, qui nam essent oblocutores; damnauerat quippe tacentes, & dissimulantes, inquirit iure Vincentius, qui nam sint hi oblocutores, & affirmat eos esse qui nouitates adinuenerant, idest eosdemmet Semipelagianos, quos Celestinus vituperabat, non autem eos qui vetustatem prædicabant, hoc est Augustinum, & Discipulos. Patet quia Vincentius remittit sensum ad ipsum met Cælestinum *Ipse*, inquit, *dicit, & dubitationem legentium ipse dissoluat: sequitur enim desinat inquit, si ita res est, idest si ita est, vt apud me quidam vrbes, & prouincias vestras criminantur, quod eas quibusdam nouitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis. Desinat, inquit, si ita res est incessere nouitas vetustatem*. Necesse hic est vt sensum Cælestini retineat Vincentius, & cum eo loquatur. Hortatur Cælestinus eos Sacerdotes, ad quos scribit, quos arguit, & monet ne sinant per negligentiã, simulationemue serpere illas nouitates, quas improbauerat, nimirum Semipelagianas, quod nouum crimen erat; nam errare ipsos per se erat culpa priuata, at verò sinere vt error serperet, ac inficeret alios, crimen erat grauius in Pastoribus, ac proinde minus facile credendum, & acerbius punien-

dum, præsertim si late grassaretur per vrbes, & prouincias, quemadmodum Catholici quidam narrabant, pastores eo nomine criminantes, cum contra Christianam Rempublicam, quam corripi, & infici illa quasi pestilentia erroris sinebant, grauissime peccarent. Nunquam mutatur sensus. Retinentur enim personæ, idest Semipelagiani, *desinant*, inquit qui anteà errabant nouitates sectando & dissimulando vt serperent. Nec illa conditio *si ita est* repetita, inuertit, aut mutat sensum: eò enim pertinet, vt difficilem reddat accusationem, quæ erat de nouo crimine cum infectione aliorum, non autem vt faciat transire nouitatem in accusatores: quomodo enim ij qui criminabantur alios nouitatis, eiusdem accusarentur, quam vituperabant? aut per quem circuitum, aut gyrum ea nouitas pastorum negligentium & simulantium ad accusatores rediret? Certè nihil est quod id verisimiliter suadeat. Conditio illa, *si ita est*, cadit super nouam criminationem, quam illi pij Catholici intendebant ijsdem pastoribus Semipelagianis, quos accusauerant erroris, acerbè eos criminantes quòd cogebant populos subditos eundem errorem amplecti. Quia verò hoc nouum & grauius crimen erat, & creditu difficilius propterea conditio interponitur, non autem vt sensus peruertatur, & crimen in accusantes retrahatur. Semper manet nouitas apud accusatos, qui vetantur & nouitates inducere, & propagare, & duplici nomine reprehenduntur errandi, & inficiendi errore subditos. Nota vero Lector vocem *Desinat nouitas incessere vetustatem*. *Desinat* refertur ad malum cæptum, &, propagatum. Hoc autem erat nouitas Semipelagiana; igitur de eadem intelligendum est

*desinat eadem nouitas incessere vetustatem* . Cur autem vtitur nunc isto verbo *incessere*, nisi quia serpendo & grassando alios incessebat vetustatem quod crimen erat nexum cum propagatione erroris, qui in comune transibat, & populos inficiebat. Hic est iustus & germanus sensus Cælestini & Vincentij qui non patitur se à Cælestino separari. Hinc illud *Quibus apostolicis, Catholicisque decretis quisquis] refragatur insultet primum omnium necesse est memoriæ Sancti Cælestini, qui statuit vt desineret incessere nouitas vetustatem*. Ades dum lector: quibus tu alijs verbis aptius, & significantius posses exprimere mentem Cælestini, quàm his quibus est vsus Vincentius Lirinensis? Mihi certè alia non occurrunt, quæ magis sint propria, & idonea. Rem igitur Cælestini omnino continet ista Vincentij interpretatio. Ipsum sua verba explicant, & defendunt. Quid manifestius pro candore & innocentia Vincentij? Vocat *Apostolica & Catholica decreta Cælestini*? sanè pro defensione veræ & Catholicæ doctrinæ. An loqueretur de decretis Cælestini factis in fauorem Semipelagianorum? Putaret ne Vincentius Cælestinum cùm maximè Augustinum defendebat, eiusque doctrinam approbabat, contrariam Semipelagianorum statuere, & confirmare? certè si hoc sibi persuasit Vincentius, stolidus, & amens fuit. Si autem suis artibus vsus id nobis persuadere voluit, impudens sane & petulans fuit. Absit vtrumque à viro cordato, & modesto, ac monacho. Cælestini sensum sequitur, cum eo sentit, & loquitur; nec ausus est, nec omnino ausurus esset decretum illud Catholicum & Apostolicum peruertere, ac corrumpere. Cum præsertim illud

coniungat cum decretis ac definitis à Sācto Sixtoi, adeo vt in rem concludat. *Deinde irrideat definita Sancti Sixti, qui censuit ne vltra quidquam liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati*. Vtrunque Pontificem coniungit vtriusque decreta colit, & veneratur: in vtrisque eodem modo accipit nouitatem, & vetustatem. Maneat ergo in tuto candor Vincentij, eique innocentiæ laus restituatur. Vossio, & Nori doctis hominibus quid faciemus? Condolebimus, quòd suis imbuti suspicionibus tantum crimen Vincentio imposuerunt. At illi fuerunt acuti in errore Vincentio affingendo, tot tamque subtilibus excogitatis coniecturis, vt eum proscriberent. Esto. Quod ad me attinet, malo esse obtusus in aliorum criminibus non videndis, quàm acutus in excogitandis. Verum hic acumine opus non est, sed candore, & integritate. Ita de Vincentio mecum, qui ingenuè sentire volet, iudicabit.

## Caput XI.

*Subtiles & captiosâ Noris argutiæ, & veteratoriæ Vossii strophæ in detorquenda interpretatione Vincentii produntur, & confutantur.*

VErùm, ait Noris, *quinta arte Vincentius Cælestini litteras vana quidem, sed arguta interpretatione detorqueat, videamus*. Artem vocat, sed maiori arte. Astus hic est Noris argutus, & acutus, illa excogitatio sensus litterarum Cælestini. Non peruertit Vincentius significationem verborum Cælestini, sed Noris interpretationem Vincentij, quam apud se formauit suspicando, & ita formatam imposuit Vincentio nihil tale somnianti. Patet artificium. Addit de Baronio. *Verum eruditus hic scriptor qui Faustum Abbatem vulgò cu-*

*lam dixit in annalibus ad annum cum Vincentij ſub eodem monachi artem non detexit*. Non potuit artem detegere quæ nulla erat; nec Vincentius erat Fauſti patellæ operculum. Eruditus ſcriptor eruditos habebat oculos & in Fauſto, & in Vincentio. Vidit Fauſti artes quòd inerant, non vidit Vincentij, quòd aberant. Nouerat vbi eſſet vulpecula, quæ demoliretur vineam Chriſti: Fauſtus; non nouit in oue vulpeculam, quia Vincentius vocem paſtoris Chriſti in Auguſtino, & Cæleſtino audiebat. Noris fingit ſibi duas vulpes vbi erat vna, & duas iniectari voluit, ſed fruſtrà: nam vna euanuit, quòd vana, & confictà erat. Subiungit. *Vt verum fatear, & ego ipſe initio Vincentium ex hac ab eodem laudata Epiſtola Semipelagianiſmi ſuſpicione abſoluebam*. Præſtaret ibi conſiſtere, nec moueri. Si illud initium tutum erat, finis præcipitium, non debuit ab eo gradu Noris demoueri. Meliores ſunt qui in primo gradu firmi ſtant, quam qui eo demoti cadunt. Eſt vbi ſit melius dimidium, quàm totum. In amore. Si Noris amaret Vincentium, & dimidium animæ ſuæ duceret; non ſe cum eo in præceps daret. Pergit ire Noris. *Itaque Vincentius vrget quinam ſint illi quos Cæleſtinus iubet ne liberè loquantur. Ex ipſo Cæleſtino cognoſcendum*. Corrigat Noris: *quibus iubet* ne ſit ſtribiligo, aut reponat: *liberè non loqui*. Præproperè iſta concepit, & exarauit, propterea irrepſit mêdum. *Sequitur enim ſi ita eſt, ideſt ſi ita eſt, vt apud me quidam vrbes, & prouincias criminantur, quod eas quibuſdam nouitatibus conſentire noxia ſimulatione faciatis. Vides quomodo Proſperum, & Hilarium deſpicit?* Nego deſpicere; non enim hic erat locus laudibus, aut reprehenſioni. Rem agebat ſuam narrator. Narrationem inſtituit, non laudationem. Cur autem deſpicit? quia dicit *quoſdam, quos Cæleſtinus*

pro-

*proprio nomine cum laude appellat* . Cælestinus laudat, quia testimonia eorum laudabat, ac decebat laudari eos quibus credebat. Non hoc erat Vincentj officij, narrantis factum & properantis ad institutum, non fidem habentis, aut facientis narrantibus. Adscribit: *hos quos Pontifex laudat Vincentius vocat criminatores* Eo inficias. Tantùm narrando ait eos arguere vrbium, & prouinciarum facilitatem in errore admittendo, quem praui doctores seminauerant, *criminari* eos dicit, ideſt accuſare. Non ne hoc ipſum agebant? plane accuſabant, & crimini vertebant ſimulationem, ex qua illa infectio ſequebatur. Fatetur hoc ipſemet Proſper in ſua Epiſtola ad Auguſtinum. *Ex quo* inquit *non ſolum his qui eos audiunt, verum etiam ipſis qui audiuntur cum dignitate creuit periculum, dum & multos reuerentia eorum aut inutili cohibet ſilentio, aut in curioſo ducit aſſenſu*. Multos ergo trahebant in ſui ſocietatē erroris. Huius criminis arguebantur à Proſpero, & Hilario. Non igitur alienum eſt dicere eos *criminari vrbes & prouincias*. At durius, & aſperius illud verbum eſt *criminari*. Quaſi uerò Vincentius monachus & retruſus in ſuæ angulū cellulæ debuerit hanc aſperitatē latini verbi, aut agnoſcere, aut lenire. Vſus fuit verbo comuni & obuio, & uulgari. Non in eo poſitæ fortunæ hiſtoriæ, ſi hoc uel illo verbo uteretur. Poſuit *Criminantur* pro acuſant; non tamen id circo *criminatores* ſunt uocandi: nam criminator ſignificat aſſuetum criminari, nō eum qui ſemel criminatur. At non debuit dicere Vincētius urbes & prouincias, cū id minime expreſſerit Proſper, minime ſignificarit Cęleſtinus in ſuis legitimis Epiſtolis, quas habemus. Exaggeratio eſt Vincētij, ut inuidia oneraret Proſperum. Ne hoc ego quidē cōceſſerim Nam quorſum expectant illa Proſperi. *Ad auctoritatem talia ſentientium non ſumus pares: nec facile quiſquā præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contra ire*.

Quid

Quid aliud continent illa Cæleſtini: *Deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare.* Nota: *Eccleſiarum*. Quid? quòd ipſamet inſcriptio litterarum Cæleſtini hoc ipſum præſe fert *Dilectiſſimis fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Arcadio, Sillucio, ſiue Filtacio, & cæteris Galliarum Epiſcopis.* Non paucæ igitur vrbes, & prouinciæ eo malo corripiebantur, cùm omnis penè Gallia quæ populoſiſſima, & frequentiſſima eſt, & tot prouincias, vrbesque vaſtiſſimo ſuo ſinu comprehendit ea ſerie Epiſcoporum propoſita indicetur? nam quid ſibi vult illud *Cæteris Epiſcopis Galliæ*, niſi vt tota Gallia obnoxia eſſe periculo ſignificetur; non quod ij Epiſcopi eo errore tenerentur, qui non eius poſtulabantur, ſed quod ij tenerentur errori ſerpenti per alios obuiare, invigilando ne graſſaretur, quemadmodum poſteà ſuo loco dicemus. Monebantur ergo officij, non damnabantur erroris? Quid hic Noris? Norit vera eſſe quæ dicit Vincentius, & quæ nos ad eum vindicandum afferimus. Hac ipſa inſcriptione refellitur quod exprobantis, & inſultantis more profert Noris, *Ita ne, Vincenti, neſcio quos presbyteros vrbes, & prouincias vocas?* Proſper, & Hilarius non Epiſcopos accuſarunt, ſed neſcio quos presbyteros. Imo & Epiſcopos accuſarunt. Audi Proſperum in ſua Epiſtola ad Auguſtinum. *Multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdoti honore ſupereminent.* Equidem Epiſcopos intelligo. Verum Epiſtola non erat data ad Cæleſtinum, ſed ad Auguſtinum. Fateor, ſed qui apud Auguſtinum accuſabat, probabile eſt eum apud Cæleſtinum quoque accuſaturum. Certè quos ibi accuſabat Proſper; hos ſibi accuſandos deſtinauerat. Pernegat tamen ſignificari

ijs verbis Episcopos. Quid respondebit Cælestino qui illam accusationem ad Episcopos extendit? nam cur ad eos scripsit, cur monuit, cur increpuit? respondet Noris *ipsius Cælestini sententia fuit Episcopis eos tumultus esse imputandos*. Repono. Iure ne, an secus imputauit? non ausit negare Noris iure. Igitur intellexit ad eos accusationem pertinere, & cum eo sensit Vincentius. Hoc volo, vt non dissentiat à Cælestinos Vincentius. Vt cunque sit de mente Prosperi accusantis, agimus de consentione Vincentii & Cælestini. Iam vero quod sumit Noris Cælestinum nouos doctores Cassianum, Faustum, Vincentium illum arguentes reprehendere illis verbis *desinant* incessere verum est de duobus, de tertio Vincentio verum non est. Nec solum ii reprehensi, sed alii quoque presbyteri, non monachi, sed seculares, qui melius eo nomine presbyteri indicantur, quàm ii qui monachi erant, & minus in publico versabantur. Non est iile error ad solos Lirinenses monachos restringendus: longiùs latiùsque manarat. Ad Massilienses propriè ac præcipuè spectabat. Audiat Hilarium initio Epistolæ ad Augustinum. *Hæc sunt quæ Massiliæ, vel alijs etiam locis in Gallia ventilantur*. Idque cōstat ex Episcopis nominatis à Cælestino. Sed Noris de solis Lirinensibus cogitabat, quia in iis existimabat esse Vincentium, quem culpare decreuerat. Non culpabit tamen, me auctore, vindice, ac defensore. Causam illius ago, quòd multum in eo homine, & opere puto esse in utrunque partem momenti. Malo eum Catholicum quàm Semipelagianum: volo sectatorem, nolo in sectatorem Augustini.

Rursum ob murmurat Noris cum Vossio: *Cur Vincen*

*tius intra vnum & alterum versum reponit si ita res est, repeto il-*
*lius verba. Desinat* inquit, *si ita res est, idest si ita est. Vrgen*
*do toties illud si ita est falsam se denotare significat Prosperi & Hi*
*larij delationem.* Si Vincentius de suo apponeret hanc par-
ticulam suspicioni locus esset. At Cælestinus eam po-
suit & ab eo Vincentius accepit: *Quid illis*, ait Cælesti-
nus in sua Epistola, *spei est, vbi magistris tacentibus hi loquun*
*tur, qui si ita est eorum discipuli non fuerunt.* Iterum idem Cæ-
lestinus *desinat, si ita res sunt, incessere nouitas vetustatem*. Ec-
ce in Cælestino particula quam vsurpat Vincentius;
cur crimini ei datur quod Cælestinus dixit; an dicendo
peccauit? dixit quod Cælestinus. At non eodem sen-
su. Quare? si idem dixit; idem & sensit, non est conse-
ctaneum dixit idem, sensit aliud. At ter dixit quod
bis dixerat Cælestinus. Ergo in numero culpa est;
verùm numerus non immutat sensum, imo confirmat,
Non sunt istæ trinæ negationes Petri, quæ complerunt
culpam. Scis cur dixit Vincentius ter, quia in sin-
gulari numero dixit. *Si ita res est*, cum Cælestinus se-
mel dixerit in singulari *si ita res est*, & iterum plurali.
*Si ita res sunt*. Iudicauit ergo Vincentius numerum
istum pluralem, semel positum respondere numero du-
plicato, atque adeo bis dixit. *Ita res est* pro *ita res sunt*
proindeque nullum admisit vitium dicendo ter in
singulari, quod semel dictum erat in singulari, &
iterum in plurali. Nec tu his Lector succenseas, quòd
puerilia sint, nam puerilis est argumentatio à numero
ter ad bis, nec ineptum hoc meum respondendi ge-
nus videatur; cum vbi Noris ait collusisse Vincentium
cum Fausto, ibi ego cum Nori colludam. Serio ta-
men moneo Norim. Cælestinum, vti erat prudens, &
cautus illam conditionem adposuisse, ne temerè cre-

dere

dere accuſantibus , & reprehendere accuſatos videretur. Ingenio ſuo fecit; dubitauit, ſuſtinuit iudicium, ne præcipitaret ſententiam. Vide quàm ſit circumſpectus; cùm ſupra dixiſſet *neſcio quibus presbyteris*, & hos nomine certo appellaſſet, paulo poſt dixit *Sciant ſe, ſi tamen cenſeantur presbyteri dignitate*. Adiungit conditionem rei, de qua anteà non dubitauerat. Pater Sanctiſſime Cæleſtine, ſi presbyteros dixeras, & presbyteros dixerat Proſper, cur non eundem modum loquendi retines, & fidenter ponis, ſed quaſi incertus dubiuſque interponis: *Si tamen cenſeantur presbyterij dignitate?* nimirum, quia cautè ac prudenter volo agere: ita ſum comparatus natura, vt temerè non credam delatoribus, propterea ſuſpendo iudicium, ne labar, erremue reprehendendo. Non eſt igitur tribuenda conditio, ac eiuſdem repetitio calliditati Vincentij, ſed ingenuitati Cæleſtini. Proficiat hoc Lector, vt ter notes conditionem adhibuiſſe in ſua Epiſtola Cæleſtinum, ne vel numero ab eo Vincentius, qui ter vſurpauit diſcrepaſſe deprehendatur. Non tamen contentioſum funem remittit Noris; pergit ducere, ac intendere, & Vincentium quaſi militem glorioſum inducit reiecto Proſpero exclamantem: *Ergo hæc fuit Beati Cæleſtini Beata ſententia, non vt vetuſtas ceſſaret obruere nouitatem: hoc eſt non vt nos qui veterem ſententiam aliorum Patrum ſequimur ceſſaremus obruere nouitatem Auguſtinianæ opinionis, ſed potius nouitas deſineret inceſſere vetuſtatem. Nempe potius noua Auguſtini, & ſectatorum Proſperi, & Hilarij doctrina deſineret inceſſere vetuſtatē ſententiæ Caſſiani, Fauſti, Vincentij, & aliorum preſbyterorum*. Sic fingit interpretantem Noris Vincentium. Stropha eſt. Ita ne verò, mi Noris, ſic interpretatur Vincētius Cæleſtinum

contra quam ipse hactenus exposuerat? seruauit hactenus textum & sensum Cælestini attribuendo nouitatem presbyteris, id est Semipelagianis, quos vituperabat Cælestinus, & modo resilit ab illo sensu, & transit ad contrarium? Vnde nouitas hæc? vnde hic saltus à nouitate ad nouitatem oppositam? obtorto collo restitantem, reluctantem, gementem trahis Vincentium. Sequitur Cælestinum; tu vi eum ab illo auellis, & aliò ire compellis. Trudis inuitum. Mallet cantherius esse in fossa, quam inde tam impudenti saltu exire. Necesse erat monstrare viam, qua recessit à Celestino. Nempe tu eam fingis, tu comminisceris, vt glorieris de acumine, & nouitate tuæ oppinionis. Agè. Pyrgopolynicem te iacta. Vincentius adhæret Cælestino, nec ab eo auelli vult, gloriam non amat præuaricando, sed perseuerando inconsortio Cælestini: quam ille laudat vetustatem, commendat: quam vituperat nouitatem, reprehendit.

Addo idoneam coniecturam sumptam ex eo quod Gelasius Papa vsus fuit eadem phrasi Vincentij Lirinensis contra Pelagium, videlicet *Musca Moritura* aduersus reliquias Pelagij, & Semipelagianos, appellando eos *Musca morituras* in Epist. 5. ad vniuers. Epist. per Picen. vt omnino quadret sensus in Semipelagianos, quos negat Pater Noris improbari a Vincentio. Nec opponat illam phrasim esse scripturæ Sacræ Ecclesiastici. c. 10. ac proinde non respexisse Gelasium phrasim Vincentij. Obseruo enim Gelasium cum Vincentio dixisse *Muscas morituras*, cum vulgata lectio sit *Muscæ morientes*: quo innuitur Gelasium de Vincentio cogitasse, cùm dixit *morituras*, ac eodem vocabulo Semipelagianos præstringere voluisse.

Pro-

Prosequitur Noris *Quis ad ista non hæreat?* Hæret ipse & quidem aqua, vt aiunt: nos fluimus, & nauigamus secundo flatu in eadem naui cum Baronio, cum Suario, cum Vasquio, ac fere omnibus, vt ipsemet fatetur, & rectè sentimus. Ille cum Vossio homine Semipelagiano in salebras incidit. Pudeat eum huius societatis, cùm Augustinianus, & optimus Catholicus sit. *Hæc est*, inquit, *nostra de Commonitorio Vincentij sententia.* Esto. Ea fruatur ille, nobis alia placet, quę auctorē, & librū liberatā suspicione erroris, de qua iterū ad calcem dicam.

Quoad uocabula *vetustatis, nouitatis* à Cælestino, & Vincentio, toties repetita, vt omnis dubitatio auferatur id fefellit Patrem Noris, quod & nonnullos nostrates Theologos fefellisse notauit doctus, & grauis auctor Aluarez disp. 5. de Auxil. Diuin. grat. quod putarunt cum Semipelagianis doctrinā Augustini esse nouam, nō antiquam; & quod illi sibi contra Augustinum vindicabāt id per incogitantiā iisdem tribuerunt, cum contrà existimare debuissent. *Nouitatis* nomine nunquā uenit apud Catholicos Augustini doctrina, quæ tradita in sacris litteris, ac in primis in Paulo expressa erat: quemadmodū Augustinus euidenter ostendit: imò uetustas appellanda erat; *nouitas* autem opinatio Semipelagianorum: & hoc nomine eam Pontifices affecerunt, & condemnarunt, quo item sensu omnes Catholici accipere debuerunt, neque Semipelagianis cōniuere, aut asser tiri. Nec obstat unum aut alterum Patrem Græcum uideri fauisse Semipelagianis, uti Origenes, & fortasse ex parte Chrysostomus: nam alii omnes Patres tum Latini, tum Græci doctrinam Euangelicam, & Apostolicam quam postea explicatiùs Augustinus proposuit, tradiderūt: quales fuerunt Cyprianus, Ambrosius, Nazianzenus;

quos idē Augustinus pro se allegauit, vt supra diximus, in libris de Prædest. Sanct. & de Don. perseuer. Ac ne quis de eo ambigat: cōfirmo in meis aduersarijs habere me multa Veterum Patrū testimonia collecta, quæ doctrinam Augustinianam perspicuè tradunt, quæ suo tēpore vulgatū iri à me spero. Itaque nomine *nouitatis* Ecclesia Catholica semper affecit dogma Pelagianum, & Semipelagianum, & apparet in Cælestino iam laudato, & in Leone primo Epist. ad Nicet, & Gelasio Epist. 3. ad Honoriū contra Pelagianos. *Si quæ antiquitus*, inquit, *à nostris maioribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur; nonne ipsi nos (quod absit) & quod nunquā Catholica patietur Ecclesia, aduersarijs veritatis vniuersis contra nos resurgendi, proponimus exemplum? Vbi est, quod scriptum est: Terminos patrum tuorum non transgredieris; & interroga patres tuos, & annūciabunt tibi: & seniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus vltra definita maiorum; aut cur nobis non sufficit, si quid ignorātes discere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis patribus, & senioribus singula quæque, vel vitanda præcepta sunt: vel aptanda Catholicæ veritati; cur non his probantur esse decreta?* Subiungitque Pōtificum decreta, quibus Pelagiana, & Semipelagiana dogmata anathematizātur. Et in Epist. 5. ad vniuers. Episc. per Picenum refellens tria capita eiusdem hæresis: *Hieronymum, atque Augustinum lumina Magistrorum Ecclesiasticorum appellat.* Falsum igitur erat quod adstruebāt Massilienses imponētes Augustino nouitatem, & sibi arripientes vetustatem, cum contra SacroSācti Pontifices illis nouitatem, sibi, & Augustino vetustatem attribuerent. Hoc sensu locutum fuisse constat Vincentium Lirinensem, cùm vetustatem probat, & improbat nouitatem. Sequitur enim Pontifices, non Semipelagianos. Sed quia Pater Noris cum sibi finxerat Pelagianū ei consequenter affinxit sēsum proprium Semipelagianorum, vnde eius

coniecturæ ruunt, quia falso nituntur fondamento, nec probare debuit ex modo loquendi, & appellandi nouitatem Vincentium Semipelagianũ esse: cum probandũ prius fuisset eum Semipelagianum fuisse. Quare eiusdẽ argumentatio, & interpretatio Epistolæ Cælestini minimè rem cõtinet, nec conficit quod volebat. Nos qui eũ Catholicum esse putamus cum Cælestino meritò, & sẽtientem, & loquentem de vetustate, & nouitate inducimus, & doctissimum Archiepiscopum Aluarez auctorẽ habemus disp. illa 5. de auxilijs lib. 1.

## Caput XII.

*Qui sint illi Hæretici, quos Vincentius Lirinensis impugnat? Produntur. Ac ex eo non fuisse Augustinum, nec sectatores apparet. Vindicatur ab hac suspicione Vincentius. An, & qui quando, & vnde Prædestinatiani Hæretici extiterint?*

HIc est cardo rei. Huc vergit tota moles contentionis, nam si liqueat eos quos vituperat, & damnat Vincentius diuersos esse à discipulis Augustini, liquidò constabit liberum prorsus esse ab omni Semipelagianismi errore Vincentium. Igitur ij Hæretici quos damnat Vincentius illis verbis. *Audent etenim polliceri & docere, quod in Ecclesia sua, idest in communionis suæ conuenticulo magna & specialis, ac plane personalis quędam sit dei gratia, adeo vt sine vllo labore, sine vllo studio, sine vlla industria, etiam si nec petant, nec quærant, nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispensentur, vt angelicis euecti manibus, idest angelica protectione seruati numquam possint offendere ad lapidem pedem suum, idest numquam scandalizari* Hi (dico perspicuè) erant Prędestinatiani Pelagianis extremè oppositi, & Semipelagianis item contrarij, qui totũ prædestinationis negotium protectioni dei assignabãt, & nihil homini prædestinato reliquebãt, fatali necessitate inducta, & liberi arbitrij potestate sublata; quos nec demerita ĩpediebãt a salute, nec

merita

merita quidquam iuuabant. Hos detestatur hoc loco Vincentius Lirinensis, quemadmodum eius verba declarant. Fuisse autem hoc genus Hæreticorum tradunt Prosper Tyro ad annum Honorij 24. Sigebertus ad annum 415. Vualdensis Tom. 1. ar. 1 c. 21. Sanderus lib. 7. de visibili monarch. Luzemburgo, & Castro. Vnde vnde illa sumpserit principium. Quod eò dico quia multi supparem eam faciunt ætati Augustini occasione sumpta errandi ex illius doctrina: ac ita existimat Tyro, cùi hac in parte assentitur Noris, & Iansenius lib. 8. de Hæresi Pelag. c. vltimo, & Vsserius Caluinista Hibernus. Nec Baronius negat, & Vasquez inclinat, qui in prima parte d. 99. c. 1. ait eum errorem impositum fuisse Augustino, idque videri constare ex responsione Prosperi ad capitula Gallorum. Et quidem Baronius ad annum 490. adstruit auctoritate Sigeberti hos Prædestinatianos, quos item affirmat Pater Gonet Tom. 9. d. 2. a. 1. citans Baronium dicentem eam Hæresim condemnatam à Concilio Arelatensi triginta Patrum. Meminit illius Hincmarus in Epistola ad Nicolaum Papam, & Gennadius Massiliensis in Appendice ad librum Sancti Augustini de Hæresibus: vbi ad 89. ab Augustino numeratas recenset, Prædestinatiuam, Nestorianam, Eutychianam, Timotheanam. Eam superioribus seculis suscitarunt; vt ait Vasquez d. 99. c. 1. n. 2. in Hollandia, & Frigia nonnulli, anno Domini 1548. & damnatur inter errores Vuicleffi, & Ioannis Hus in Concilio Constantiensi ses. 15. & in Concilio Tridentino ses 6. can. 17. isque est proprius error Caluinistarum. Miror autem vehementer neminem pro isto errore adstruendo laudasse Vincentium Lirinensem, hoc in loco Commonitorij, qui, me auctore valet

multò

multò plus ad probationem illius, quàm pleraque aliorum testimonia. Suis ille coloribus depinxit ad viuum Prædestinatianos, adeo vt mihi de illorum errore dubitare non liceat, quem etiam describit Hincmarus lib. de prædest. ca 1. & habetur in Codice Bibliothecæ Parisiensis auctore Patre Gonet d. 2. art. 2. Habemus errorem, quamquam de illius origene ambigatur. Vulgo refertur ad tempus Augustini recèns mortui extrema illius ætate. Ego antiquiorem duco, & ex ipsomet Augustino deduco, qui lib. de dono perseuran. c. 15. narrat quendam *sui monasterij monachum qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, respondebat, qualiscumque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit* quæ vox germana Prædestinationi Caluinisticæ est; nec dubito quin alij eiusdem similes fuerint; vnde patet ante mortem Augustini illam hæresim viguisse. Addo antiquiorem esse, & in rem nouum, & notatu dignum locum afferam: quem reperi in libro Vitas Patrum, quo maxime delector, & lectori pio & studioso propono: tempore Sancti Pathomij ante Augustinum (fuit quippe æqualis Athanasij) eum errorem inualuisse. In eius vita pag. 95. (caret enim liber cum sit vetustissimus numero capitum) sic habetur: *Erant autem hi tres viri qui primitus ad Pachomium conuenerant: quorum ista sunt nomina; Psenthessus, & Suris, & Obsis; quibus Dei verbum Pachomius frequenter insinuans multum eos iuuerat, & ad æmulationem spiritualis operis incitabat. Qui etiam contemplantes vitam senis speculum esse virtutis nimis admirabantur dicentes errare valde, qui putant homines iam inde à natiuitate parentum quodam priuilegio beatos existere, vt arbitrij libertas ad matur, & peccatores per pænitentiam non possint operam dare virtutibus.* Nota in utramque partem necessitatem

fata-

fatalem, & refer istam particulam. *Homines à natiuitate Parentum quodam priuilegio beatos*, & aliam; vt *arbitrij libertas adimatur* ad verba Vincentij Lirinensis, & confer inter se, planè comperies consonare, & consentire. Maneat igitur iam tum eam sectam extitisse. Editio recens Heriberti Rosueydi habet cap. 20.

At oppones cum Patre Noris Vincentium eum errorem Augustino imputare, eumque illius insimulasse, & condemnasse. Iam superiùs negaui, & refutaui obiectionem: nunc animaduerto eam vocem *conuenticulum suæ communionis* propriam esse Prædestinatorum, qui dicebant omnes suæ sectæ esse Prædestinatos, vti hodie dicunt Caluinistæ; hoc autem quadrare non potest in Ecclesiam Augustini, nec in illius doctrinam, quæ Catholica erat, & ab illo conuenticulo aliena. Verum ades dum, Lector, & audi. Rem affero magnæ expectationis, & inuictum ex ea contra Patrem Norim pro Augustino, & Vincentio argumentum sumo. Ecce Vincentius c. 11. *Quod mihi quidem*, inquit, *diuinitus videtur promulgatum esse iudicium propter eorum maximè fraudulentiam, qui cum sub alieno nomine hæresim concinnare machinantur captant plerumque veteris viri scripta paulò inuolutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, vt illud nescio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur*. Rem, acu opinor, tetigimus. Nam qui sunt isti, qui sub alieno nomine hæresim concinnare machinantur, nisi Prædestinatiani, qui sub nomine Augustini vt vulgò traditur, & fatetur Noris id temporis suum errorem venditabant? Et quis quæso est ille vir vetus, & senex è cuius scriptis suum iactant eruisse errorem, nisi ipsemet Augustinus? Ambigis. Audi genuinam notam *paulò inuolutiùs edita, quę pro sua ob-*

*scuri-*

ſcuritate. Ipſum hic Noriſm teſtem appello: nouit ille hanc notam propriam, & genuinam haberi vulgò de ſcriptis Auguſtini. Igitur hic eſt ille vir è cuius ſcriptis error ille erui dicebatur. Non ergo erat Auguſtinus ille qui reprehendebatur à Vincentio, ſed illi qui illius auctoritate ab vtebantur deluſi ſcriptorum eius obſcuritate, in quibus ille inuolutiùs & minus explicitè loqui videbatur. Candidus eſt, & ingenuus niſi cùm præoccupatur affectu Noris, puto eum cùm hoc legat mihi aſſenſurum, & ſententiam in melius relaturum. Equidem ego propter hoc argumentum ab ea, ſi in ea eſſem opinione recederem, & Vincentium abſoluerem, & Auguſtino reconciliarem. Vnum tamen morari quemquam poterit vocari Auguſtinum *veterem virum* paulò antè mortuum. Verum leuius hoc eſt quàm vt poſſit retardare quemquam: nam vetus vir ponitur pro homine ſene, & qui diu cum vixiſſet anteceſſerat ætate præſentes, qualis fuit Auguſtinus Septuagenario maior, ac pro inde inter veteres cenſendus, ſi cum illa ætate currente conferretur. Itaque non eſt inepta appellatio: certè eam latinæ aures ferunt. Conſulat theſauros qui volet. Quòd ſi reluctetur Noris, dicat mihi quæſo quis ille fuerit *vir vetus*, à quo Prædeſtinatiani eam doctrinam ſumpſerint, cum ipſemet fateatur illam, ſi tamen fuit, hæreſim ex praua intelligentia ſcriptorum Auguſtini fluxiſſe, & neget vllos ante Auguſtinum eius ſectæ homines extitiſſe. Aut nominet alium qui ſit ille *vir vetus* qui inuolutè & obſcurè ſcribendo anſam præbere potuit errãdi Prædeſtinatianis. Quare hic locus inuictus videtur, & omnino legẽtibus perſuadet Vincentiũ non potuiſſe huiuſmodi

errores Augustino imputare. Maneat itaque illos, quos tam acerbè taxat Hæreticos Vincentius, non esse alios, quàm Prædestinatianos, quos verè Hæreticos potuit, & debuit appellare: non autem Augustinum, & Catholicos cum eo sentientes, & quos nemo vel Semipelagianus illorum temporum auctor eo nomine afficere ausus est, quemadmodum Noris ipse significat culpans Vincentium, quod eam hæreseos notam doctrinæ Augustini inusserit, à quo vel iuraritissimi illius hostes abstinuissent.

Atque hic opportunè animaduerto nullum ex his quæ adduxi, argumentum pro vindicando Vincentio non esse ab eius hoc Commonitorio de promptum, vt norit Noris me attentè, & accuratè illud opus vidisse, & expendisse: nec mihi obiectare se posse quam nuperis scriptoribus obijcit in eo legendo oscitantiam, quæ in ijs nulla fuit, sed summa accuratio & diligentia: nihil enim est in eo aureo opere, quod à sana & recta de gratia doctrina discrepet, nec aliud credendum fuit de Baronio, Suario, Vasquio, Clarissimis auctoribus quibus ille negligentiam impingit. Verùm Noris cum Vossio aliud quærebat in Vincentio, næuos scilicet quos ei impingeret, quorum à se plures esse quàm à Vossio repertos Noris gloriatur. Ego contrà glorior nullum me re in eo pulcherrimo opere næuum inuenisse, nisi si qui ad uenustatem pertinent, & pulchritudinem augent, quos gelasinos appellamus. Alij næui qui turpant, & deformant, non insunt, affinguntur Vincentio: non sunt ingeniti, ac naturales, sed impositi & fucati. Desinat ita-

que dicere vir eruditus *Ego libere sententiam promam, & nisi nobis metipsis oculos eruamus palam faciam Vincentium, cum Hilario, Fausto & alijs Lirinensibus contra Sancti Augustini de Prædestinatione doctrinam conspirasse*; nam nos liberè contrariam prompsimus, & oculati, imo toti oculei cornicum quodammodo garrularum Vossij & quorundam Heterodoxorum oculos confiximus, & Vincentium ab omni Semipelagianismi suspicione liberum perspicuè, opinor, monstrauimus. Locos Commonitorii omnes, qui rem continent vidimus, excussimus, expendimus, protulimus, ac iis collatis cum interpretationibus Vossii, & Noris deprehendimus doctrinam Vincentii nihil omnino ab Augustini scriptis, & Cælestini litteris discrepare, ac id, quod mirabile est, nouo argumento ab ipsomet Nori desumpto palam facio.

Hactenus vsus sum armis Vincentii in suo armamentario repertis, modò telum nouum ab hoste datum sumo, & in eundem contorqueo. Pater Noris sæpe in hoc suo, quale sane est, doctissimo opere affirmat Lirinenses monachos aduersarios Augustini, atque adeo Semipelagianos fuisse: idque testatur illo capite 11. lib. 2. *Aliunde* inquit *à nobis probatum sit Lerinenses à Sancto Augustino, recessisse* vt ex eo colligat, cùm vnus ex iis fuerit, eisdem consensisse. Quinimo, & in gratiam Fausti scripsisse illud opus Vincentium idem Noris affirmat pag. 245. Verùm contrà ex eodem Nori sic argumentor. Vincentius non erat monachus Lerinensis quando scripsit illud opus Commonitorium. Ergo in vtroque fallitur Noris: nam neque erat Lerinensis monachus, neque subditus Fausti Abbatis, qui anno 434. erat Abbas Monasterij, in quo non

erat monachus Vincentius. Atque hic ego ad Norim ais eum nomine Lerinensis contra Augustinum sensisse, vt cum cæteris suis concellitis, siue vt appellas syncellitis consentiret, quorum omnium erat ille sensus Semipelagianus. At te auctore Vincentius non erat Concellita, neque Sincellita Lirinensium: non ergo cum ipsis sentiebat Constat hoc dictum ex eodem capite. 11. non longe à fine vbi sic Noris. *Ex his colligimus Vincentium auctorem Commonitorij cum hoc opus scripsit non dum fuisse Monachum Lirinensem*. Hoc argumentum valet contra Norim, vti apparet: quare eo auctore conficio Vincentium Semipelagianum non fuisse. Detur hoc gloriæ Patri Noris, quod instar Achillis est, cui Pelias hasta fuit, quæ & percussum repercutiens sanabat. Eo quo feriebat Noris telo Vincentium, imponendo ei Semipelagianismum, quòd erat monachus Lirinensis, eo eundem Vincentium liberat negans eum fuisse, cum scripsit Commonitorium, monachum Lirinensem, ac proinde Semipelagianum. Gratulor itaque mihi, quòd apud Norim cui vehementer cupio, & quem summopere laudare soleo, & vulnus, & medelam inuenerim. Vulnus intentauit cum dixit Vincentium more ac instituto monachorum Lirinensium, & in gratiam Fausti abbatis scripsisse Commonitorium; medicatus est idem vulnus, cum est inficiatus, quo anno scripsit Commonitorium, qui annus fuit 434. fuisse monachum Lirinensem, atque a deò neque subditũ Fausti Abbatis: quare sanus est Vincentius, & immunis à nota illi inusta eodem auctore Nori, & qui antea eum condemnarat idem ab obiecto crimine

absoluit.

abſoluit. Hinc etiam ruit illa colluſio quam inducit Noris lib. 2. pag. 249. vbi ſic ait: *Rurſum Vincntium colluſionis cum Fauſto ſuo Abbate alio argumento reum oſtendo.* Deludi ſe hic paſſus eſt Noris, ſi quidem iſta colluſio nulla fuit, cum Vincentius Fauſtum Abbatem, cuius ille non erat Monachus, colluſorem habere non potuerit.

## Caput XIII.

*An ille Auctor obiectionum Vincentianarum apud Proſperum ſit Vincentius Lirinenſis? Nullus is fuiſſe oſtenditur, & alius monſtratur fuiſſe. Idonea de eo teſtimonia afferüntur,*

DE hoc ita eruditiſſimus Pater Noris lib. ſuo 2. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 11. pag. 250. *Hic idem Vincentius contra Proſperum alioſque abſurdiſsima quædam aſſerta publicauit, quaſi ab Auguſtinianis illa eadem defenderentur.* Sunt autem ſexdecim obiecta, quæ habentur inter opera Proſperi cum reſponſionibus ſubiectis & in 7. tom. operum Auguſtini ad calcem ponuntur poſt reſponſionem Proſperi ad capitala obiectionum Gallorum. Animaduertendum eſt huiuſmodi Vincentiana obiecta in priſcis nonnullis exemplaribus, & nouis etiam editionibus inueniri hac inſcriptione *Ad articulus falſo ſibi impoſitos Auguſtini reſponſio.* De opere lubet adſcribere iudicium præfixum Theologorum Louanienſium: *Sunt qui arbitrentur Vincentium hunc Lirinenſem illum fuiſſe, cuius extat opuſculum aduerſus profanas omnium hæreſeon nouitatis, certè hoc tempore in Gallia floruit.* Mihi perſuaſiſſimum eſt Vincentium Lirinenſem huius.

Commonitorij ſcriptorem earum obiectionum auctorem non fuiſſe, nec eſſe potuiſſe. Imò vnum ex abſurdis, inter ea quæ obiecit abſurda hoc de illo viro iudicium eſſe ponendum. Id verò conſectaneum, & conſentaneum eſt iis quæ hactenus diximus diluendo calumniam ei impoſitam Semipelagianiſmi: à qua ſi liber fuit, nullo modo huic alteri potuit eſse obnoxius. Lectorem rogo vt legat illas obiectiones; horror ipſe conceptus legendo perſuadebit ab iis abhorruiſse Vincentium, & ſi quis alius fuerit, hominem cordatum, & ſanæ mentis. Tam eas ſunt abſurdæ, & horribiles, vt non audeam eas hic exhibere, ne moueam camerinam, & vomam. Confer, quæſo, illud Commonitorium, & partes eius, methodum, & rationem ſcribendi, ſtyli faciem, genus dictionis, modum diſputandi cum iſtis obiectis, nihil reperies diſſonantius, diſcrepantius, pugnantius. Ille auctor grauiter, prudenter, cautè, rectè, circumſpectè ſe gerit; hic leuiter, temerè, proiectè, impudenter, petulanrer agit, agiturque, ſeque præcipitem dat, Omnia apud auctorem Commonitorii ſunt conſiderata, librata, expenſa, tornata, matura, concocta; nihil in hoc auctore obiectionum eſt niſi proiectum, niſi turbidum, niſi enorme, niſi incompoſitum, niſi crudum, niſi indigeſtum. Certè ipſa ratio dicendi arguit & ingenia diſſimilia, & perſonas omnino eſse diuerſas. Vt errauerit Vincentius, vt alios damnauerit erroris, quàm id ſubtiliter, & cautè, ac prudenter molitur? Vt vel in accuſando modum ſeruet, & in reprehendendo bilem contineat. At hic furioſus & præceps immaniter, ſæuè, truculenter agit, & iracundiæ fel

&

& maleuolentiæ virus eructat, quasi velit pestifero obiectionum halitu eosdem, quos accusat, perimere. Legat qui volet. Me pudet tam absurda deliria commemorare, quibus ego si Prosper essem minime respondere dignarer: sed ea suamet pestilentia sinerem corrumpi, & euanescere. Sunt illa prorsus ab homine cordato, & mentis compote aliena. Ac ne ista pro meo ingenio fabricata esse videantur, vt deterrendo homines fœditate, & absurditate obiectionum, nolim, aut non possim probare eas obiectiones Vincentij Lirinensis non esse, ac examinari hac ratione prohibeam, affero idoneam ad suadendum coniecturam. Nihil in iis est quod sapiat reprehensionem illius, quæ vulgo existimatur esse Augustini, doctrinæ, quamque vituperasse dicitur in suo Commonitorio Vincentius, scilicet prædestinationis gratuitæ, ac sine meritorum præsidio comparandæ, & à Deo ita dispositæ, vt Beatitudinis similis esse videatur. Omnia hic sunt ab eo errore aliena. Contrà vero quidquid affertur, & obiicitur pertinet ad sæuitiam, & crudelitatem Dei destinantis homines, ad malum peccati, pænæ, & indurationis ad inducendam desperationem, odium Dei, & incutiendum horrorem fatalem, & ciendam bilem Lectorum, vt aduersus docentes immania illa portenta excandescant, in eosque tanquam barbaros & inhumanos inuehantur: omnia sunt erroris, terroris, formidinis, desperationis plena, & ab ingenio truci, effera que indole profecta, à qua longe Vincentius aberat, homo acutus, mitis, cautus, & circumspectus. Aliter hic si accusare vellet aduersarios se gereret, obijceret melliora, subtiliora, e

pro-

probabiliora, atque adeò credibilia, non ea, quæ sua absurditate & enormitate fidem, quam facere moliebantur, euerterent, & labefactarent. Non erat ingeniosus ille Vincentius, sed adipalis, non acutus, sed bardus, quia ad arguendum, & conuincendum incredibilia proferebat. Perdebat oleum, & operam qui omnem lucem fidei extinguebat. Monstra inuexit iste Vincentius, quæ ne Africa quidem tulerat, aut ferre poterat, per summam iniuriam eã Africano homini Augustino imponebat. Non erat Africa illorum monstrorum ferax, imo ne capax quidem. Portentosiora erant quàm illa quę apud inferos pro uestibulo stabant. Apage sis quicunque ista imponis Vincentio. Nam hæc ipsa impostura declarat alienam ei imponi personam. Non possum non mirari, & quidem vehementer, Patrem Norim amicum meum, virum, mitem, suauem, grauem, prudentem in hanc de Vincentio Lirinensi existimationem deuenisse: Certè nunquam sic Lirinensis illa suauissima lyra delirasset. Addo: si illa capitula sunt Vincentij Lirinensis tot esse peccata capitalia propter calumnias impositas Doctori sanctissimo contra Epistolã decretalem Cælestini. Quare non est credendum hominem, qui inter Sanctos refertur earum auctorem fuisse, ac eas in libellum famosum compegisse, illumque euulgare voluisse.

Lectores prouoco ad lectionem, ac eorum stare volo iudicio. Sola lectio mihi faciet fidem, meque idoneum negantis sententiæ auctorem esse monstrabit, à qua nemo, qui legat absurda illa commenta, opinor, deinceps recedet.

Superest scire, idque à me expeti video quisnam

fuerit

fuerit ille Vincentius auctor obiectionum? hoc enim putant homines studiosi nexum esse cum ea sententia, quæ negat quemquam scriptorem alicuius operis esse, prodere alium qui eius auctor fuerit: imo & solent illud exigere quasi pro mercede lectionis. Equidem longe aliter sentio; quin & ineptum puto hunc nexum: scio hunc non fecisse, igitur scio quis fecerit, Non est consectaneum: Quare mihi satis fuerit monstrasse Vincentium Lirinensem harum obiectionum non fuisse auctorem, & nego ad aliam me quæstionem excitandam de auctore teneri. Habeoque eius rei grauem auctorem Suarez tom. 1. de grat. Prolog. 5. c. 5. qui cum mecum de Vincentio Lirinensi sentiat eum non esse auctorem obiectionum, ab ea quæstione quæ iniicitur, abstinet prudenter, nec ea se patitur implicari. Atque vt me vrbanè, ac lepide liberem narro historiam. Macarius ille Sanctus Antonij Sanctissimi discipulus, cùm incideret in hominem reum factum homicidii, qui se innocentem esse clamabat, commiseratus eius vicem, eundem, vti erat comprehensus à lictoribus, ad sepulchrum interfecti perduxit; & palam ad sepultum *Age*, inquit, *dic, an hic reus te interfecerit?* Qui, rem miram! è sepulchro clara voce negauit se ab reo occisum esse. Propterea dimissus domum suam repetijt. Vix dum absolutus cùm turba rogare Macarium cæpit, vt quæreret ex mortuo quis nam eum interfecisset? cumque vrgeretur Macarius respondit; satis sibi esse innocentem liberasse, non esse officij sui prodere homicidam, seque è tur-

ba eo dicto subduxit. Hoc ego memet exemplo libero. Verum tenet me abeuntem Baronius grauis, & illustris annalium scriptor, qui sua me authoritate mouet ad inquirendum. Ecquis nam fuerit ille obiectionum auctor? Sisto itaque, & parco tanto viro, eique subscribo; & quem ille prodit eundem ego auctorem probo. Vincentium alium Gallicanum presbyterum, qui eodem seculo in Gallia floruit. De quo Gennadius scribit. citat vero cap. 80. At opponit se nobis pater Noris fatalis quodammodo hostis Vincentij Lirinensis eo in loco hist. Pelag. lib. 2.c.11.pag. 250. excipiens, quòd ille Presbyter Vincentius nullam eius erroris suspicionem præbuit, cum omnia, quæ dicitur scripsisse opera, interierint: *cum præsertim*, ait, *euidenter constet esse Lirinensem, atque adeo super vacaneũ alij opus imputare*. Addit prætereà, *illum, de quo scribit Gennadius, Vincentium iuniorem esse, cùm conuixerit* Gennadio, quem se audiuisse testatur. Gennadium autem floruisse sexaginta, & amplius annis post Gallicanos illos de gratia tumultus, viuente Prospero: circa annum 426. excitatos. His respondeo: primùm istum alterum Vincentium suspectum erroris fieri propter familiaritatem cum Gennadio homine Augustinianæ doctrinæ infensissimo, Semipelagiani dogmatis studiosissimo. Inuenit itaque Vincentius in Gennadio dignum patella operculum. Hoc facit ne quæ Noris de Vincentio Lerinensi scribit non modò non euidentia, sed ne verisimilia quidem sint. Secundùm: iuniorem fuisse istum Vincentium Prospero non eum tempore excludere, cum eodem seculo vixerint, & idem Vincentius antiquior fuerit Gennadio, qui eum se audiuisse testatur, videlicet

vti magistrum anno 480. Potuit ergo tunc esse sexagenarius Vincentius: Prosper autem cum vixisset, eodem teste Noris, vsque ad annum 457. potuit cum eodem concurrere, & anno suæ ætatis trigesimo illa obiecta conficere, & à Prospero refutari eo anno 450. viuente, imo & anteà; qua ratione videmus scriptores alios iuuenes cum senibus controuersias agitasse. Satis sit exemplo Augustinus qui cum Hieronymo sene iuuenis disceptauit. Nec illi Semipelagianorum, vt ait Noris, tumultus tam cito cessarunt cùm viuo Prospero, & Fausto qui diutissimè post vixit, tenuerint, nec nisi Arausicani Concilij tempore esse desierint; cùm ergo coniectura idonea scit, & controuersiæ perdurarint, nec multum dicrepet ætas, huic Vincentio Gallo presbytero, non alteri Vincentio Monacho Gallo sunt illæ obiectiones tribuendæ. Equidem eò libentiùs huic sententiæ adhæreo, quòd video eam & Ecclesiasticis, & Scholasticis scriptoribus placuisse. Volo igitur opinionem Noris conuellere, & meam confirmare. Nemo Catholicus ausus est asserere Vincentium Lirinensem earum obiectionum authorem esse. Proponunt quidem quæstionem, & aiunt nonnullos ambigere: nemine laudato: sed negant eas esse Vincentij. Imò ne Hæretici quidèm, si paucos excipias audaciores, ei Vincentio assignant. Et, quod mirere, non penitus id affirmant, sed timidè, ac modeste, uno excepto Vossio, qui fidentiùs loquitur. Cuius referendo sententiam Georgius Callistus ait. *Non improbabiliter*: fluxè omninò, ac pro reuerentia erga Vossium frigidè. Andreas Riuettus dicacissimus, & pro-

iectissimus in suo Critico c. 24. pag. 469. *Notandum Vincentium fortè eundem fuisse, qui obiectiones illas proposuit, quas Vincentianas appellat Prosper, easque refellit*. Quin imò Vossius ipse constans author illius sententiæ lib. 1. de Hist. Pelag. c. 9. pag. 43. ita scribit. *Modò obiectiones eius sint vt putamus*. Moderatur dicto. Addit autèm Callistus quod rem meam continet. *Verùm enim verò Pontificii scriptores obiectiones illas Vincentianas Vincentio nostro abiudicant, & alteri cuidam Vincentio, cuius meminit Gennadius lib. de scriptor. Ecclesiast. x x c. tribuere malunt Vnus instar omnium esto Baronius &c.* Catholica ergo est illa sententia negans Vincentium illarum esse authorem, vel homine hæretico teste. Iure igitùr Bartholomæus Petrus Lintrensis in Annotat. ad Commonitorium ponit dissertationem Apologeticam, in qua multis demonstrat huius opinionis falsitatem, quam mihi videre non contigit, contigit autem videre in Epistola ad me missa Florentia ab oraculo illo litterario Illustrissimo; Antonio Magiabecho, in Cortina Serenissimi Magni Ducis eruditissimam Sibyllam agente, locum Baluzzi in notis ad eundem librum, Commonitorium Vincentij, vbi proposita opinione affirmante sic ait. *Cum ea opinio à Viris celeberrimis explosa sit, tum specia[l]i dissertatione in eam incubuit Bartholomeus Petrus Duacensis in Præfatione ad Commonitorium Vincentij*. Id scitè animaduertit P. Labbe in sua dissert. Philolog. de scriptor. Ecclesiast. Bellarmini Hæreticos, qui malè sentiunt de Vincentio attribuendo ei & errorem Semipelagianum, & obiectiones Vincentianas, eò id facere, vt eleuent illius authoritatem, ne sibi

noceat;

noceat ; & infirmat eorum rationes , quibus persuadere conantur, eum illarum obiectionum authorem esse. *Sed quibus*, ait , *ambo , & quam leuibus , & quàm nullis argumentis ?* Propterea P. Noris nullum prorsùs attulit : tantùm sumpsit quod probandum erat illo c. 2. p. 250. *Hic idem* , ait, *Vincentius contra Prosperum , aliosque absurdissima quædam asserta publicauit quasi ab Augustinianis illa eadem defenderentur* . Abstinuit ab omni argumento , imò & nullo authore dixit. Rectè quod nullum Catholicum inuenire potuit , addo nec habere certum & constantem . Ex Hæreticis vnum & alterum laudare potuit,qui vti sunt Sanctis Patribus aduersi, ità calumnias illis solent imponere ad eleuandam eorum auctoritatem,ne à Catholicis adductis eorundem testimonijs conuincantur . A nobis aduersus Norim stant nostri , & Scholastici Theologi , & Ecclesiastici scriptores . Afferamus aliquot , & ab Ecclesiasticæ Historiæ Patre Magno Baronio incipiamus . Is in annotat. ad Martyrol. 24. Maij 711. *Non est hoc loco prætermittendum errare eos , qui Vincentianas ( sic enim appellant ) obiectiones illas aduersus S. Prosperum S. Augustini scripta defendentem Vincentij huius existimant fuisse eo quod illis temporibus vixerit , Sed huius rei falsitas ex hoc cognosci potest quod hic non tantùm non impugnauit defensores , sed magnoperè laudauit ; nàm eo libro , quem scripsit aduersus hereses cap. 43. vehementèr admodùm commendauit Cælestini Romani Pontificis epistolam in defensione scriptorum S. Augustini datam ad Episcopos Galliarum aduersus eos , qui tanti Patris doctrinam ausi fuerant impugnare . Sed vt intelligamus quisnam fuerit ille Vincentius , qui pugnacissi-*

*mas illas conscripsit obiectiones, sciendum est eodem seculo alterum Vincentium claruisse in Gallia, de quo idem Gennadius scribit eodem lib. c. 80. cui potiùs opus illud tribuendum putarem. Quicquid sit constat quidèm lucubrationes illas esse Pelagiani hominis, nec dignas quæ tribuantur Vincentio Lirinensi, qui aureo planè illo opusculo Fidem Catholicam egregiè testatam reliquit, quo cum omnes hæreses, tum maximè Pelagianam cum authoribus suis impugnat, vt constat ex eodem libro c. 2. & 14.* Hæc Baronius. Suarez 1. tom. de grat. Prologom. 5. c. 5. ita. *Aliqui existimarunt hunc esse Vincentium illum, cui Prosper respondet in libro ad obiectiones Vincentianas, & ideò vnum esse crediderunt ex his qui in Gallia contra doctrinam Augustini cum Massiliensibus disseruerunt. Sed hæc suspicio nullum habet in opusculo Vincentij Lirinensis contra profanas vocum nouitates, quem solum ex scriptis eius habemus, fundamentum. Rursus c. ult. Iterum in eum, idest Pelagium, inuehitur, ibique magna cum veneratione recipit Epistolam Cælestini, quæ contra Semipelagianos, & in defensionem Augustini scripta est, vt postea videbimus. Deinde ex libro Prosperi colligi non potest qui fuerit ille Vincentius, à quo obiectiones, quas refutat Vincentianæ nominatæ sunt. Cur ergo suspicabimur, illum fuisse insigniorem Vincentium, qui eo tempore vixit? maximè cum Prosper in Præfatione dicat eum confinxisse quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque Augustino, & Prospero ad inuidiam concitandam tradidisse; quod certè incredibile est de Vincentio Lirinensi, qui vir religiosissimus fuisse perhibetur, & dicto libro suo talem se ostendit.* Et laudato Baronio concludit. *Parum interest indicare qui ille Vincentius fuerit, dummodò grauissimo Scriptori contra Hæreticos talis iniuria non inferatur.* Vasquez in 1. p. d. 91. c. 8. n. 43. *Alij*, inquit, *meritò existimant Vincentium, cuius sunt obiectiones Vincentianæ apud Prosperum*

non

*non fuiſſe Lirinenſem illum monachum, qui contra hæreſes ſcripſit ſed alium Vincentium Presbyterum Gallum, cuius meminit Gennadius lib de Viris Illuſtr. c 80. nam c. 64. de Vincentio Lirinenſi mentionem fecit. Horum autèm opinionem confirmat valdè quod Vincentius Lirinenſis in illo ſuo libello c. vlt. allegat Cæleſtini Epiſtolam, eamque ſummoperè laudat, quam ſcriptam eſſe contra Caſſianum infra c. 2 videbimus.*

Conſenſiſſe de hoc inter ſe duos inſignes Theologos genio, ingenioque diſcrepantes, argumentum eſt ab auctoritate inuictum contra Noris opinionem, qui magnifacere ſolet Suarez; & quidem iure; at poſſet etiam eodem numero habere Vaſquez.

Adijcio nobilem huius ætatis Theologum Dominicanum, qui me laudat aliquando Gonetum de grat. d. 2. ſ. 7. *Vincentium Lirinenſem*, ait, *Caſsiani contemporaneum, & in Cænobio Lirinenſi monachum, aliqui putant eum eſſe, cui respondet Proſper in libro ad obiectiones Vincentianas; adeoquè Maſsilienſis factionis halitu inſpiratum fuiſſe. Sed iniqua hæc ſuſpicio eſt; cum hic Vincentius in opuſculo contra profanas vocum nouitates c. 34. vehementèr arguat Pelagium, quòd neceſsitatem gratiæ iuuantis nos in ſingulis actibus negauerit, & c. vlt. Epiſtolam Celeſtini Papæ aduerſus Semipelagianos cum veneratione recipiat. Addo quod Gennadius hunc ei næuum non appingit, ſed validiſſimum contra hæreticos atletam fuiſſe memorat. Vnde Baronius ad annum 431. n. 188. verè tradit Vinceutium, in quem ſcripſit Proſper, fuiſſe alium eiuſdem nominis.*

Negant Vincentium auctorem eſſe harum obiectionum: Bartholomæus Petrus Lintrenſis in ſua diſſert. Apologetica pro Vincent. Lirin. Baluccius in notis ad eundem. Antonius Geruaſius Bijonius Ce-

nomanensis in suo tractatu de Gratia. Philippus Labbe de script. Eccles. Bellarmini pag. 489. Ioannes Baptista Gesnay. in opere inscripto *Prouinciæ Massiliensis, ac reliquæ Phocensis Annales* ad annum Christi 432. Quem tamen miror de sententia Vasquii dubitasse, cùm eius nos tam luculentum, & manifestum testimonium produxerimus;

## Caput XV.

*Hilarius Arelatensis nota Semipelagianismi à Patre Nori impacta liberatur. Vnum eum, ac eundem cum auctore Epistolæ socio Prosperi esse monstratur. Arelatensis Episcopi nomen irrepsisse in textum cum Baronio contra Norim ostenditur. Locus Eucherij bene intellectus à Baronio, inuito Nori, sustinetur. De anno quo scriptæ sunt Epistolæ Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, & de tempore retractationis operum S. Augustini iusta auctoris à P. Noris dissensio. Tandem Augustinianis scriptoribus Hilarium sibi vindicantibus, eundem à Nori ademptum iure post limini, auctor restituit.*

STudet eruditissimus Pater Noris Semipelagianorum numerum augere, ego minuere: addere Augustino hostes, ego adimere; vter melius, lector iudicet. Non contentus Vincentio Lirinensi; adiicere conatur Hilarium Arelatensem, quem non solum Semipelagianum,

ſed unum ex iis præcipuum facit Hilariũ ut cum lib. 2. c. 14. pag. 273. Semipelagianorum in Gallus Coryphæum appellat. Neſcio cur Semipelagianiſmum clarare uult uiris clariſsimis infuſcatis. Tingit ergo Hilarium fuligine Semipelagiani erroris in ſua hiſtoria lib. 2. c. 2. ubi eum dicit *præcipuum* habitum fuiſse inter Semipelagianos. Fatetur que ibi *luctari ſe* cum doctiſſimis ſui inſtituti uiris qui, contra ſentiunt, & Baronio conſentiunt. Deterrere hoc debuit, non incitare. Nominat uerò Marquez, Herreram, Cruſenium, Staibanum, & amantiſſimum ſui, & de republica Auguſtiniana bene meritum Aloyſium Torellum, à quibus tanta fidentia recedit, vt dicere audeat: *adeo euidenter a ſè eorum ſententiam refelli, vt non dubitet eos à ſua, & communi ſententia receſſuros*. Ego contrà qui hos ſcriptores, ac in primis Baronium legendo noui, & Torellum propter eruditionem, & ſuauitatem indolis, eximiaſque virtutes vehementer amo & colo, recipio me refutaturum omnes coniecturas Noris, & palàm facturum Hilarium Arelatenſem longè ab illo errore ab fuiſse; nec dubitare me quin eam priſcam ſententiam ſim confirmaturus: & Norim, niſi refragari obſtinatè veritati velit, à ſua opinione demoturus.

Afferamus eius coniecturas. Prima ſumitur ex Verbis Proſperi in Epiſt. ad Auguſt. *Vnum eorum*, Semipelagianorum, *præcipuæ auctoritatis & ſpiritalium ſtudiorum virum Sanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum ſciat beatitudo tua admiratorem, ſ ctatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit iam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre. Sed quia vtrũ hoc facturus, aut quo fine ſit facturus incertũ eſt*

Fatetur Prosper Hilarium cum omnia Augustini dogmata approbaret, hoc tamen vnum de prædestinatione gratuita minus probare, de que eo queri quasi nollet Augustino assentiri.

Secunda promitur ex altera, quæ adiungitur Epist. Hilarii vbi sic. *Planè illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis, ac dictis omnibus admirari.* Quæ verba continent eundem de Hilario sensum è Prospero adductum *Admiratorem, sectatoremque in alijs tuæ esse doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit*, nisi quòd Prosper nominat Hilarium Arelatensem, Hilarius autem tacet nomen, sed non dissimulat personam, & si inter plures eam collocet.

Tertia ducitur ex verbis Augustini lib. de dono perseuer. c. 21. *Videant tamen ij* [ *nempe Hilarius*, interponit Noris, *socijque* ) *quibus amantibus me ingratus esse non debeo, qui præter hoc quod in quæstionem venit, omnia mea sicut scribitis se profitentur amplecti, videant, inquam, vtrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum, quos mei Episcopatus initio antequam Pelagiana Hæresis appareret ad Simplicianum Episcopum scripsi, remanserit aliquid quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & vtrum ibi non satis egerim etiam initium fidei esse donum Dei: & vtrum ex ijs, quæ ibi dicta sunt non consequenter eluceat, & si non sit expressum, etiam vsque in finem perseuerantiam nonnisi ab eo donari, qui nos prædestinauit in Regnum suum, & Gloriam*, Et postea. *Vnde recolant aduersus Hæresim Pelagianam, iam ante aliquot annos, ita dicta esse, atque conscripta, quæ nunc illis displicere mirandum est.* His coniecturis ductus Pater Noris concludit, Hilarium cum Cassiano contra Augustinum conspirasse. Addit scriptores illos, qui Hilarium de-

fen-

fendunt in eo deceptos, quòd duos Hilarios in vnum eundemque miſcuerunt: Nam duos fuiſſe conſtare vnum Epiſcopum Arelatenſem; alterum priuatum ciuem ſcriptorem huius Epiſtolæ ad Auguſtinum, eiuſque Diſcipulum; negat quippe Hilarium Arelatenſem in Africa fuiſse, ſubiungit Epiſtolam coniunctam Epiſtolæ Proſperi non eſse Hilarii Arelatenſis, ſed alterius huius Hilarii priuati eo argumento quod Proſper in fine Epiſtolæ ſic ſcribit. *Iam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre: ſed quia vtrum hoc facturus, aut quo fine ſit facturus incertum eſt &c.* Quæ addit Noris, *de Hilario in defendendo Auguſtino Collega, cuius inſtantia litteras exaratas vna cum illis in Africam deferendas ſciebat, nullo pacto intelligi poſſunt*. Hactenus Noris: cui nos ordine reſpondemus.

Primùm negando aſsumptum, videlicet duos Hilarios fuiſse. Quo tanquam iugulo præciſo cadit trũcus opinionis Noriſianæ. Negat Noris Hilarium Arelatenſem in Africa fuiſse. Iuuenis quippe hic Arelate ab Honorato Abbate ad meliorem frugem reductus, & in Monaſterium acceptus. Alter autem teſtatur ſe in Africa fuiſse Auguſtini diſcipulum, quaſi verò hæc duo inter ſe pugnent, cùm tamen vnum alterum non excludat. Potuit enim Hilarius prius Adoleſcens erudiri ab Honorato in Gallia, & poſteà Iuuenis in Africam ire, & ibi Auguſtinum audire. Audiuiſse autem perſuadeo coniecturis. Prima quòd Proſper fatetur ſe numquam Auguſtinum vidiſse, nec ab eo viſum; patet ex illa particula epiſtolæ Proſperi, initio: *Ignotus tibi facie* quo indicatur Hilarium de facie Auguſtinum agnouiſse, ſi quidem de eo tacuit, quaſi Auguſtino ille innotuiſset. Secunda quod nominat Hilarium Epiſcopum Arelatẽſẽ inter tot alioſquos ſilẽtio præterit eo ſatis ſignificat

eum Augusti no notum esse. Cur enim eum nominatim producit, nisi quod ille ille inter cæteros innotuerat Augustino? Tertia constat Hilarium Arelatensem fuisse Syracusis ex Epistola ad Augustinum data, 88. quam non dubito esse Hilarij, venerat autem ex Africa, vt significat Augustinus, qui ei respondens *filium* vocat, in fine Epistolæ 89. At negat iterum Noris eum Arelatensem fuisse. Refello negantem, nam si ille alter Gallus erat, & in Africa esse potuit, cur Arelatensis non potuit? Gallum autem eum esse non audebit Noris inficiari, igitur teneamus Hilarium Arelatensem. Quarta coniectura sumitur ex Parænetica Eucherij ad Valerianum, vbi de nostro Hilario, & Petronio ait eos *ex plenissima mundanæ Potestatis Sede ascendisse ad Religionis, & Sacerdotij dignitatem*. Non igitur Adolescens Religioni se addixit, sed diu liber vixit, & honores gessit, potuitque in Africam se conferre, & in Sicilia negotiandi causa morari; ex quo illa coniectura Patris Noris corruit, videlicet Laicum eum fuisse cùm secundam ad Augustinum cum Prospero Epistolam scripsit, quæ est præliminaris ad librum de Prædestinatione Sanctorum, & dono perseuerantiæ quasi verò Hilarius Arelatensis Laicus esse non posset cum tamen ei diù in seculo viuere contingere potuisset: Quod apparebit inferius ex eadem Parænetica Eucherij, vbi cum Baronio explicabimus verba quibus Eucherius describit ingressum Hilarij in Monasterium, & inaugurationem Episcopalem Petronij, & refutabimus interpretationem Noris: & Baronij, quem reijcit, approbabimus.

Adijcio optimam coniecturam sumptam ex Epi-

stola Hilarij Arelatensis Syracusis scripta ex Sicilia ad Augustinum, quæ versatur in materia Hæresis Pelagianæ, de qua Hilarius iam tum erat solicitus, tanquam defensor gratiæ, & hostis illius erroris. Vndè deducitur eundem in secunda Epistola continuasse studium persequendi Hæreticos Semipelagianos, idest reliquias Semipelagianorum, & iuuat modus loquendi in fine Epistolæ. *De his omnibus rogo quantis valeo precibus sanctitatem tuam, vt iubeat nos apertiùs instrui: quò nouerimus, quatenus sentire debeamus*. Quæ si conferantur cum ijs particulis, quæ sunt in alia Epistola initio, & fine, similia inter se, & germana videbuntur.

Quod attinet allatas a nobis superius Noris coniecturas eæ facilè refutantur. Prima ex Epistola Prosperi, vbi dicitur Hilarium, qui in cæteris amplectebatur dogmata Augustini, vnum hoc in querelam trahere, quod de gratuita prædestinatione tradiderat, refellitur dicendo: verum quidem esse initio dubitasse Hilarium, sed suum prudenter sustinuisse iudicium, donec per litteras Augustinum consuluit Nam si dissensisset non expectasset dum Augustinus rescripsisset. Contulit ergo cum eo per hanc ipsam Epistolam sensum suum, & elicuit Augustini, ei omnino assensurus; imò, & cùm scripsit iam assenserat, deposito dubio, & abiecta querela; respon sionem tamen exigebat ad satisfaciendum cæteris, qui traditę doctrinæ minus acquiescebant. Hinc soluitur secunda coniectura, quæ leuior est, cùm multi approbarent vniuersa Augustini dogmata excepto vno Prædestinationis gratuitæ ac liberæ ante omnem præuisionem meritorum ex Dei constituto. Ad hos igi-

tur

tur conuincendos, qui inde sumebant occasionem erandi optabat Hilarius litteras Augustini, vt ijs ora obstrueret, & dubitationem auferret.

Tertia ex loco Augustini fauet causæ Hilarij, quia Augustinus loquitur in plurali de ijs, qui suæ doctrinæ resistebant. Nulla facta Hilarij mentione, quem expresserat nominatim Prosper: quod argumento est Hilarium huius Epistolæ esse auctorem, ac in ea se profiteri sectatorem Augustini; si enim secus esset eum Augustinus nominaret, quemadmodum fecerat Prosper, ac ei rectè responderet facta mentione Hilarii, qui cùm tantus esset vir, & Episcopus, ac solus à Prospero nominatus, non erat prætermittendus ab Augustino, si in eo errore esse cognouisset. Siluit ergo de eo, quòd ex litteris, ad sedatis nouit eũ secum sentire. Propterea tam familiariter cum illo egit, vt omni obiecta suspicione, quam ei litteræ Prosperi mouere potuerant tanquam cum discipulo, & filio loquatur; *Dilectissimi*, inquiens, *filij Prosper, & Hilari*. Nihil eum discernens à Prospero, quòd comperer at simul cum eo sibi assentiri, admonens tantùm, & corripiens alios, *qui præter hoc quod in quæstionem venit, omnia sicut scribitis se profitentur amplecti.* Hilario prætermisso, qui omnem suspicionem aboleuerat illis verbis *Nolo autem Sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de his quæ nunc edid sti ego dubitem*. Dubitasse autem de eo Prosperum nihil obstat, cum initio eum ambigẽtem, & querentem vidisset, nesciisset autem dubitationem postea deposuisse, & querelam abiecisse. Magis autem credendum erat Hilario de se ipso affirmanti nõ dubitare, quàm Prospero de illo dubitanti, cùm præsertim Prosper prius scripsisset, quàm Hilarius eius lit-

teras

teras accepiſset, quas cum ſuis poſtea ſcriptis erat in Africam ad Auguſtinum miſsurus, quemadmodum inferius apparebit.

Venio ad id quod ſubtiliter opponit Noris, Proſperum rogatum à Hilario vt ſcriberet his verbis: *Egi cum viro tum moribus, tum eloquio, & ſtudijs claro, vt quanta poſſet collecta ſuis litteris intimaret*, non bene cohærere cum dicto Proſperi: *Incertum eſt vtrum hoc facturus ſit*, ideſt ſcribere, *aut quo ſi ie ſit facturus*. Potuit enim Hilarius morari dum deponebat dubium, & interim ſcribere Proſperum, ac Epiſtolam apud ſe ſeruare, donec eſſet occaſio mittendi; quæ demum oblata eſt, cùm Hilarius cunctatione depoſita ipſum Proſperum hortatus eſt vt ad Auguſtinum ſcriberet, qui ſcriptas iam, & ex ante præparatas litteras miſit Hilario, à quo acceptæ, & in vnum cum ſuis faſciculum coniectæ ad Auguſtinum ſunt miſsæ: quemadmodum teſtatur Hilarius in fine Epiſtolæ ad Auguſtinum: *Egi vt litteris intimaret quas coniunctas his deſtinare curaui*. Hac ratione conſtat potuiſſe prius, & ſua ſponte ſcribere Proſperum, & rogatum ab Hilario id neſciente, vt ſcriberet, miſiſſe ad eum litteras ſcriptas, & auctas quibus acceptis ſcripſiſſe ſuas Hilarium, & vtraſque direxiſſe. Ita diluitur coniectura Noris, & communis ſententia confirmatur. Addo aliam elidendi rationem, videlicet Hilarium ſolitum eſse dare litteras ad Auguſtinum, & de controuerſijs gratiæ iam ſcripſiſſe antea, vti fatetur in hac eadem Epiſtola paulò ante finem: *Nec mireris*, inquit, *quod aliter, vel aliqua in hac Epiſtola addidi, quantum puto, quæ in ſuperiore non dixeram*. Imò & ipſemet Proſper miſerat alias Auguſtino litteras, ſicuti apparet initio Epiſtolæ: *Per Sanctum Fratrem meum Leon-*

*tium Diaconum misi Epistolas, & acepi*. Nouerat hoc Hilarius; propterea monuit Prosperum. Deinde affirmo litteras Hilarij, & Prosperi non potuisse ad Augustinum mitti postquam Hilarius Arelatensis fuit creatus Episcopus: atque adeo falli Norim, qui eam vult particulam *Arelatensis Episcopi* in Epistola Prosperi contra Baronium, & communem sententiam retinere. Nam eæ litteræ scriptæ sunt viuo Augustino, & acceptæ sunt ab eo viuente, & ipse viuens respondit, & composuit duos illos insignes libros de Prædest. sanct. & de Don. perseuer. Augustinus autem mortuus est anno 430 vti vult Noris, vel paulò ante. Non ergo anno quo factus est Hilarius Episcopus scribi illæ litteræ potuerunt. Irrepit igitur illa particula in Epistolam Prosperi, erat quippe Hilarius omnino vir priuatus cum litteræ scriptæ sunt.

Tertiùm improbo prauam Noris de Baronio notam, cum ait; *Baronius Hilarii dignitatem ex litteris Prosperi abrasit ex praua verborum intelligentia*. Et ostendo Baronium rectè intellexisse verba Eucherii, eaque Norim deprauasse, & vindico vti par est, insignem virum. Locus Eucherii huiusmodi est. *Hilarius nuper, & in Italia nunc Antistes Petronius ambo ex illa plerissima, vt aiunt, potestatis sede vnus in Religionis: alter in sacerdotii nomen ascendit*. Sensus germanus est Baronii. Duo magni viri Hilarius, & Petronius dimissis honoribus sæcularibus, quos gerebant, alter ad Religionis honorem, alter ad Episcopatum ascendit. Petronius nunc ad Episcopatum, & paulo ante, idest nuper, Hilarius ad Religionem. Non est autem germanus ille alius sensus, quem intrudit Noris improbando Baronium, vt illud *nuper* cadat super Episcopatum Hilarii, hoc est ille *nuper Episcopus*

ascen-

aſcendit ad Religionem, qui ſenſus ineptus eſset, vt Hilarius ex Epiſcopatu aſcenderet ad Religionem. Et quidem Eucherius loquitur de aſcenſu amborum à ſæculo ad Chriſtum, cùm ambo ſæculum reliquerunt, & comparando eos ait; vnus eorum nuper ſe contulit ad Religionem, alteri collatus eſt Epiſcopatus. Nam illud *nuper* refertur ad tempus quo Hilarius reliquit ſæculum, non autem ad tempus in quo fuit Epiſcopus, vt ſit ſenſus quòd *nunc* fecit Petronius tranſeundo de ſæculo ad Epiſcopatum, id *nuper* fecit Hilarius tranſeundo de ſæculo ad Religionem. Itaque rectè, vt aſsolet Baronius, *creatus Petronius Epiſcopus Bononienſis perſeuerante Hilario in vita monaſtica.* Id ego perſpicuè dico. Ambo reliquerunt mundum; Hilarius *nuper* ſuſcipiendo habitum monachi; Petronius *nunc* obtinendo Epiſcopatum. Immeritò igitur Noris contra Baronium; *Alias*, inquit, *ſenſus, ac proprietas dictionis corrumperetur*. Abſit hoc à Baronio viro accuratiſsimo, & à me qui eum ſequor, quemque ipſe Noris bene latinum appellat. Animaduertat hic Noris: Si illud *nuper* refertur ad Epiſcopatum quem habebat Hilarius, perit ratio comparationis vnius cum altero quando ſæculum reliquit; de hoc enim tranſitu agebatur, cùm immediate vnus ad monaſterium, alter ad Epiſcopatum venit, ſeruata uenuſtate, ex diuerſitate termini ad quem ambo aſcenderunt, ex eodem gradu, in quo ſimiles erant. Quid quæris? Illa particula *nuper* non bene cohæret cum altera particula *Nunc*; nam hæc ſignificat tempus præſentis Epiſcopatus Petronij.

*Nuper* autem significat præteritam electionem, non præsentem continuationem status: imo destruit eam: nam qui dicit *Nuper* Episcopus videtur significare quod fuit, non quod nunc est, ac proinde concedit fuisse, & uidetur negare esse. Demum si illud *Nuper* affigeretur Episcopatui, deberet vindicare sibi locum, idest *Nuper in Gallia*, vt responderet *nunc in Italia*, nequis existimaret Hilarium Italiæ Episcopum esse. Certè Eucherius auctor est latinus, & elegans non committeret, vt incongruè, & inneptè loqueretur.

Superest: scire quo anno scriptæ sint litteræ Prosperi, & Hilarii, vt ex eo appareat, an eodem anno Hilarius Episcopus fuerit. Id autem accuratè, & subtiliter inquirendum. Conferendi sunt loci Augustini de retractatione suorum librorum, & de editione illorum, qui inter retractandum, & post retractationem ab eo sunt compositi. Quæstio est satis impedita, & in qua cæspitauit Noris, quem corrigere oportebit, nec ille grauabitur à me moneri sene, & familiari, & in operibus Sancti Augustini, vel ipso teste, uersatissimo. Igitur numero eos, qui rem continent. Epistolam præliminarem libri *Ad quod vult Deum*. Habetur autem tom. 6. initio. est que Augustini responsio ad litteras eiusdem *Quod vult Dei* Diaconi. Librum secundum retractationum cap. vlt. Librum de Prædest. Sanct. c. 3 lib. de Don. perseueran. c. 21. & vitam Augustini scriptam à Possidio Episcopo Calamensi. Igitur Epistola *ad quod vult Deum* ait: absoluisse se duo volumina retractationum, retractatis omnibus libris idest. 232. restare autem Epistolas, & tractatus populares seu homilias. Lib 2. Retract. c. vlt. opera 93. in lib. 232. à se dictata, & recognita affirmat, incertus vtrum aliquos

adhuc

adhuc dictaturus esset, idque ante retractationem Epistolarum, & Homiliarum, & duo ea volumina, sicut Epistola *ad Quod vult Deum* continet, iam composuisse. Lib. 2. de Prædest. Sanct c. 3. fatetur cùm accepit litteras Prosperi, & Hilarij iam tum duos libros retractationum confecisse. Lib. de Don. perseuer. c. 21. ait *se tunc facere libros retractationum*. Possidius in vita narrat: *Ante proximum mortis diem libros à se dictatos, & editos recensuisse. Vnde etiam duo scripsisse volumina, quorum est titulus de recensione librorum*. Nihil de anno, nisi si quis velit intelligere locum Posidij de die proximo mortis, vt visum est Iansenio, & sint ea vltima opera Augustini. Verùm hoc pugnat cum alijs quatuor locis Augustini, vbi ait se iam absoluisse duo volumina retractationum, quo tempore scribebat librum de Hæresibus, & libros de Prædest. Sanct. & de Don. perseuer. Quare Baronius accuratissimus scriptor existimat eos libros non fuisse vltimos.

Mihi omninò compertum est libros retractationum duos, qui extant, quando Augustinus scribebat opus de Hæresibus *ad Quod vult Deum*, & librum de Prædest. Sanct. & de Don. perseuer. iam esse absolutos: id enim disertè tradit Augustinus Epistola ad Quod vult Deum, & c. 3. lib. de Prædest. sanct. Nec obstant verba cap. 21. de Dono perseuera. *Propterea nunc facio libros in quibus opuscula mea retractanda suscepi*. Loquitur enim de Epistolis, & homilijs, siue tractatibus, quos retractare aggressus perducere ad vmbilicum non potuit. Et quidem de hoc cum Patre Nori conuenio. Discrepo tamen in responsione ad locum Posidij, qui huic nostræ sententiæ videtur aduersari. Ait quippe Posidius: *Ante proximum diem obitus sui recensuisse libros suos* Igitur

hi libri retractationum nouissimi fuerunt. Respondet Noris illud *ante proximum diem* non significare proximam mortem, sed locum dare spatio temporis triennij quod secutum est, & intercessit inter retractationem, & mortem, vt sit sensus: retractauit antequam moreretur facto interuallo triennij dum irruptio barbarorum in Africam tenuit. *At hæc barbarorum*, inquit, *irruptio in Africam accidit anno 427. quæ cum ex Possidio consecuta sit scriptionem duorum librorum retractationum, patet istos anno 427. ex eodem Posidio completos*, & adducit verba Posidij: *Verum breui consequenti tempore diuina voluntate, & potestate præuenit vt manus ingens diuersis telis armata, & bellis exercitata immanium hostium Vandalorum, & Alanorum commixtam secum habentes Gothorum gentem, aliarumque diuersarum gentium personas ex Hispaniæ partibus transmarinis nauibus Africæ influxisset, & irruisset*. Atque ad emolliendam interpretationem, quæ dura videbatur, sequitur versionem vnam textus ( variat quippe ) *ante proximum diem infirmitatis obitus sui*, quæ lectio patitur illud spatium triennij inter editionem librorum retractationum, & mortem Augustini, vt concludat anno 427. eam esse perfectam. Verùm ecquis non videt hanc interpretationem esse violentam? Quomodo enim illa lectio, quæ est rarior, præferri potest alteri, quæ habet: *Ante proximum diem obitus sui*. Vt vt sit lectio: neutra sanè patitur tantum temporis, idest triennij, interuallum. Deinde vt retineatur illa *de infirmitate* rem Noris ea non continet. Nam illa infirmitas fuit vltima; hæc autem, vti narrat Posidius c. 29. accidit tertio quàm Ciuitas Hipponensis obsessa est mense, quæ obsidio

cùm

cùm continuerit menſes 14. & Auguſtinus ante vrbem captam deceſserit, anni ferme ſpatio durauit, ac proinde trienium excludit, imò paucos menſes complectitur, quia Poſsidius infrà c. 31. certa nota deſignat hanc proximam obitus ſui infirmitatem. Sic enim. *Quod etiam* [ loquitur de pęnitentia facienda ante obitum ] *ipſe fecit vltima qua defunctus eſt ægritudine*. Hæc nota indicat illam de qua hic agit infirmitatem *Ante proximam diem infirmitatis obitus ſui* hoc eſt in fine alterius, quæ cæperat tertio menſe poſt obſidionem, ideſt paulo antè illius obitum, quantum ſit ſatis ad recognitionem librorum, quod ſpatium anteceſsit illos decem dies, quos Auguſtinus ſibi ſepoſuit ad vacandum ſoli Deo, & verſus pſalmorũ Pęnitentialiũ ruminãdos: quare deſinat Noris opinationis ſuæ. Fefellit eum tractus periodi narrationis, quam continuam, & cum ſequenti connexã exiſtimauit; nam Poſſidius nõ coniungit immediatè illa verba ſequẽtia *Breui conſequente tempore* cum particula *Ante proximum diem obitus ſui*, vel *infirmitatis*, ſed interponit alia, quæ ſpectãt *ad opera imperfecta, & alios libros ſibi ereptos*, quos multo anteà compoſuerat, & nominatim *ſpeculum*. Tunc autem ſubiungit Poſsidius: *Verum breui tempore*, & pergit irruptionem illam Barbarorum, qui ferro, & face Africanam prouinciam olim Romani Imperii duce Annibale æmulam deuaſtarunt, & pulcherrimam regionem à Didone Regina cultam, & frequentatam, & præclaro diademate, ideſt Ciuitate Carthagine, coronatam, eoque ad Capitolini uerticis altitudinem maieſtate pari eductam miris cladibus deformatam lugubri oratione deſcribere, & ad Auguſtini Africani Solis obitum Occidentis accommodare, ut ei illa commori uideretur quem Orientem in cunis protulerat, & mala

inde consecuta narrare connectendo ista non cum illa particula *Ante diem proximum*, sed cum alia sequente de libris compositis, ac disertè de speculo. Præterea si recensuit libros ante mortem, quomodo ait Posidius hic paulo inferius; *Vnde etiam duo scripsit volumina*. Ex quo sequitur tunc *Ante proximum diem mortis ea de nouo scripsisse*. Id mihi videtur indubitatum Augustinum iam habuisse scripta, & absoluta volumina Retractationum tunc cùm erat in extremis constitutus: voluisse tamen iterum paulò ante mortem ea recensere, ac recognoscere, & rata habere quæ scripserat, idque oculis relegendo, & verbis approbando præstitisse; quare Possidius non est vsus est verbo retractare, sed recensere. *Recensuit* idest numerauit, lustrauit, recognouit iam retractata.

Nunc veniamus ad Quæstionem capitalem. Comperto Augustinum illo anno 27. absoluisse libros retractationum, quonam tempore acceperit litteras Prosperi, & Hilarij? Etenim Noris contendit eas accepisse anno vltimo vitæ suæ, saltem anno vigesimo nono, cùm iam erat Episcopus Arelatensis Hilarius, vt euincat non esse hunc auctorem Epistolæ. Respondeo perspicuè; Augustinum accepisse litteras, & respondisse ante eum annum, nec potuisse anno eo quem asignat Noris accipere, & respondere: atque adeò antequam Hilarius esset Episcopus, & accepisse, & respondisse. Quod rotundè, opinor, probo. Anno 426. vel auctore Nori pag. 155. Augustinus inchoauit libros Retractationum, & proximo 427. absoluit; & continuata opera Epistolas, & Homilias cæpit retractare, vt patet ex c. 21. de Don perseuer. *Propterea nunc* inquit *facio libros*: tunc autem dictabat libros de Prædest. sanct. &

de

de Don perseuer. igitur iam tunc acceperat litteras Prosperi, & Hilarij, idest triennio ante mortem. At occurret Noris eo tempore Augustinum operam dare alijs studijs, & componere illum librum de Hæresibus ad Quod vult Deum: non autem libros de quibus agimus. Reijcio duobus modis. Primo potuisse vtrosque pariter componere diuersis horis, sicuti & ego nunc, tres diuersos tractatus scribo horis diuersis, ad singulos destinatis. Secundo si singulos scripsit, & solitarios, prius composuisse libros de Prædestinatione sanctorum, & de Dono perseuerantiæ, quàm librum de Hæresibus, cùm illa controuersia maioris esset momenti, & in ea iugulum Gratiæ peteretur: alius vero liber esset Catalogus Hæreticorum, qui posset sine periculo differri, & aliunde, putà, ex Epiphanio, & Philastrio haberi. Adijcio teneri Augustinum nomine officij prius hominibus exteris, & grauibus, & longiùs positis respondere, quàm homini Africano, & vicino. Sed rursum obijciet Noris: non constare tàm citò respondisse. Occurro: id suaderi ex eo quòd si distulisset responsum incidisset in tempora calamitosissima inuasionis barbarorum, quo tempore vix posset respondere. Quæ ratio est idonea, & meo iudicio verosimillima: cùm ingruente illa Barbararum gentium colluuie, & per totam se Africam effundente magna rerum turbatio futura esset, & Augustini animus pius, ac tener, ad commiserationem potius quàm ad commentationem verteretur. Quemadmodum legimus accidisse; nec enim occupatus dolore potuit Epistolas, & Homilias retractare, nec Apologiam contra Iulianum perficere; quam quia non absoluit *Imperfectum opus* appellamus. Vnde colligo libros de Prædestinatione Sanctorum,

& de Dono perseuerantiæ ante illam Barbarorum irruptionem edidisse; idque mihi confirmat eorum stylus concinnus, accuratus, eruditus: qui sanè eiusmodi esse non posset anxio Augustino, & malis patriæ, ac Ecclesiæ indolente, circumstrepentibus armis, circumsonantibus tubis, circumgementibus turbis, Africa tota ruente, lapsante, eiulante, tumultuante. Idque significat Possidius commemorans calamitates, & miserias illius temporis, quas postquam egit de libris Augustini ita exaggerat, vt uideatur innuere uix Augustino quidquam scribere licuisse: cùm præsertim ad eum uicini Episcopi suis pulsi Ecclesiis confugissent. Hinc optima, opinor, coniectura ducitur illos duos de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ libros antè illam irruptionem conscriptos fuisse. Nam post eam difficile, & acciperentur, & darentur litteræ, & libri mitterentur propter interceptos commeatus. Illud saltem euincitur contra Norim: intra obsidionis tempus, quod quatuordecim mensium fuit, non potuisse litteras mitti, nec reddi, cùm ea arctissima fuisse narretur. Cadit autem annus inquo debuit ordinari Episcopus Hilarius intra tempus aut iam cæptæ, aut saltem imminentis obsidionis, ne quà possit superesse Nori uia elabendi, meque refutandi. Addo si Augustinus eo ærumnoso, & calamitoso tempore scripsisset aliquam de eo mentionem facturum, uti alias leuioribus de causis facere solet. Quòd id tacuit indicium est eum ante eam calamitatem scripsisse. Maneat itaque aduersus Norim Hilarium unum tantum, & eundem; idest Arelatensem, fuisse; hunc & Augustinum cognouisse, & ab eo didicisse, huius esse Epistolam præliminarem ad librum de Prædestinatione

San-

Sanctorum. eamque ante annum 429. ab Hilario non dum Episcopo scriptam esse, illam particulam *Arelatensem Episcopum* in textum Prosperi siue per incuriam, siue per iniuriam irrepsisse, vt appareat Hilarij innocentia, & omnis ei afficta Semipelagiani erroris calumnia euanescat, cùm ille ex Augustini discipulis, & defensoribus vnus ac princeps extiterit: quæ omnia capitalis quæstio postulabat. Hac etiam ratione constat communis sententia Baronij, Spondam, Posseuini, Barallii, & Patrum Augustinianorum, quibus ego liberam, & expeditam relinquo viam ad suam, quæ verisimilis est, de instituto Monachorum Lirinensium ab Hilario iis secundum Augustini regulam siue tradito, siue aucto sententiam sustinendam: qua in re Torellus insignis Theologus, præclarus concionator, accuratissimus historicus, lumen & ornamentum Augustiniani ordinis magnam, & vtilem operam posuit. Gratum iis futurum puto, quòd me socium suæ opinionis habituri sunt, hominem si minus eruditum, certè diligentem. Saltem solatio erit deficiente Nori, in partibus habere Macedum, & Augustini obseruantissimum, & Ordinis amantissimum.

# Caput XVI.

*Ille Hilarius quicunque demum sit expressus in Prosperi Epistola in querelam trahens Augustini de Prædestinatione doctrinam eo nomine Semipelagianus non fuit. Id ex Augustini dictis probatur: imo ex verbis Prosperi in eademmet Epistola deducitur. Nullum in Hilario Semipelagianismi indicium apparet. Hoc argumento Noris vrgetur; qui ex indiciis Gennadium damnat, quæ in Hilario non extant.*

QVoquo modo hactenus dicta se habeant, etiam si largiamur Nori Hilarium, de quo discreptamus, illum fuisse Arelatensem Episcopum diuersum ab Hilario authore Epistolæ ad Augustinum, negandum nihilominus est eum Semipelagianum fuisse. Idque sic ratiocinando demonstro. Propterea ille huius erroris arguitur, quòd Prosper scribit ab eo in querelam trahi Augustini de gratuita Prædestinatione sententiam. Hoc autem satis non est ad eum erroris damnandum. Nam trahere in querelam potest fieri sine periculo erroris; videlicet conferendo querelam in difficultatem, & obscuritatem, & asperitatem doctrinæ, quæ non esset euulganda, neque patefacienda populis propter scandalum, quod ex eo oriri poterat, desiderando prudentiam, non exprobando errorem. Qua ratione legimus Paulum questum esse de Petro Galat. 2. quòd se à gentilibus subtraxisset, & segregasset, non quòd Petrus errasset in aliquo dogmate, sed quòd scandalo ansam præbuisset, uti nos de communi Theologorum cum Augusti-

no consensutomo de Clauibus Petro demonstrauimus. Id vero significauit Hilarius in Epistola *Ad summam fatigatis omnibus nobis ad id prosecutio eorum, vel potius querela* [vide querelam] *conuertitur, consentientibus etiam his qui hanc definitionem improbare non audent, vt dicant, quid opus fuit huiusmodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari?* Ecce Catholici homines admittentes doctrinam Augustini de constitnto, & definitione Prædestinationis gratuitæ, querebantur de ipsomet Augustino, quòd eam tradidisset, vulgassetque doctrinam, quæ quamuis vera, & Catholica esset, tamen propter difficultatem, & profunditatem, adde, si placet, asperitatem imperitorum animos perturbabat. Stare igitur potest huiusmodi querela cum assensione, & fide recta mysterij, sine hæresi, ac errore. Cur igitur imponitur à Nori hæresis, ac error Hilario propter querelam? potuit itaque in querelã trahere Hilarius publicationem doctrinæ ab difficultatem, & obscuritatem illius, quasi non esset tempestiua & opportuna, minimè improbata doctrina. Quod si plerique fideles, & sectatores Augustini, qui ei consentiebant, & adhærebant queri de publicatione eius dogmatis intra Fidem, extra errorem potuerunt, cur vnus eorum Hilarius esse non potuit? Vrgeo Norim. Si sola querela sufficit ad appellandum erroris Hilarium, multi hodie Catholici sunt, qui Augustini doctrinam propter difficultatem, & vt quidam aiunt, duritiem, & asperitatem in querelam vocant. An propterea sunt accusandi Semipelagianismi? Nec Augustinus ipse non vidit suæ sententiæ difficultatem, si durius & asperiùs, quàm par erat proponeretur: ac proinde vt satisfaceret querimonis fidelium, quos suos [Nostros] dicit lib. de Don. Perseuer.

c. 20. appellat, conatus est eam emollire, & suauibus modis suadere, reiectis asperis, & acerbis, nequis scandalum pateretur. Legat Noris cap. 22. 23. 24 eiusdem libri de Don. perseuer. Affero verba palmaria cap. 22. *Quæ tamen non ita populis prædicanda est, vt apud imperitam, vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur*. Proponit autem modos asperiores, quibus indurari poterat, & opponit modos suauiores, quibus debebat emolliri. Fatetur ergo suæ difficultatem sententiæ, & queritur de modis, quibus ea durius prædicabatur, ab alijs. An id circo improbabat doctrinam? Minimè quidem, sed modum in querelam vocabat. Ita & Hilarius retinere potuit doctrinam, & modum publicandi in querelam trahere. Alioquin etiam Augustinus fatendo difficultatem, & querendo de modo durius eam prædicandi, ex illa querimonia in errorem traheretur. Certè si sola querela de modo tradendi sufficit ad probandum errorem in Hilario, sufficit etiam ad imputandum errorem Augustino: dum agnoscit posse prædicari Prædestinationem modo duriore, quem ipse in querelam trahit. Premo rursum Norim. Augustinus istos querulos, suos, idest Catholicos, appellat. Igitur non putat esse propterea Semipelagianos. Audiamus eum c. 20. de Don. perseuer. *Quid est quod inuicta conclusi violentia veritatis rectè se isti nostri dicere existimant, & si verum est quod dicitur de Prædestinatione beneficiorum Dei, non est tamen populis prædicandum*. Viden vt illos nostros appellet intra veritatem conclusos, conuictosque, querentes tamen de prædicatione eiusdem veritatis. Intra Fidem ergo erat querela, & intra

hos

hos querulos erat Hilarius. Igitur non Semipelagianus, sed Catholicus, & Augustinianus. Manet igitur querelam cum doctrinæ assensu consistere, quemadmodum stabat cum sana doctrina durior, & asperior ratio exponendi. Hæc igitur excludebatur, illa retinebatur. Id circò Augustinus ijs in locis conabatur emollire duritiem verborum, vt querelas auferret, quæ in verbis versabantur. Seueriùs imo, & acerbiùs quàm oportuit cùm Hilario se gessit Noris, cum solam querelam in errorem traxit. Alijs opus erat argumentis ad tantum Episcopum damnandum. Perinde est de querela, ac de nihilo damnare Hilarium. Atque hic vtar ratione Noris contra Norim, quod mihi semper bellè cadit. Nullum ex ijs indicijs Semipelagiani erroris, quæ ad illum alijs tribuendum Noris afferre solet, apparet in Hilario. Igitur notæ eximendus est. Duo sunt apud Norim lib. 2. Hist. Pelag. c. 16. quæ producit, vt conuincat Gennadium. Laus Semipelagianorum, & Vituperatio Augustini, & discipulorum. Quare de Gennadio; *Vnde*, inquit, *ex Semipelagianorum laude, ac Prosperi reprehensione fuisse Semipelagianum nullus iure inficias ibit*. Nominarat autem initio capitis Pelagium, quem laudauerat Gennadius, & Augustinum, quem vituperauerat. Et rursum narrat eundem Gennadium Augustino detraxisse. Vbi, vbi sunt ista in Hilario indicia? nusquam. Nulla prorsus extant. Cur Semipelagianismi insimulatur? Quo iure de Hilario Noris lib. 2. c. 13. *fuit*, inquit, *Hilarius, vt ait Prosper, vnus eorum, qui Sancti Augustini sententiã de gratuita Prædestinatione ad*

fidem

*idem acriter impugnarunt* ! vbi? quando quibus in scriptis? hoc est enim tertium indicium, veriùs argumentum ad probandam Semipelagianam alicuius hæresim, nimirum vt in libris eius qui damnatur appareat. Qua ratione Noris negat Gennadium damnari posse Semipelagianismi ex scriptis in libro de Ecclesi. dogmat. quia ibi nihil continetur quod sapiat eum errorem, & in alijs nonnullis liberandis vtitur eo argumento quòd aut nihil scripserint, aut si qua scripserunt in ijs nihil suspectum reperiatur. Igitur cum paucissima scripserit Hilarius, & quæ scripsit nihil in ijs extet quod sapiat Semipelagianismum, nullo poterit iure damnari. Hæc auctore ipsomet P. Noris argumenta pro innocentia Hilarij profero. Sunt alia sumpta ex eo quòd ille insignis Pelagianæ hæreseos hostis fuit, imo & Semipelagianæ: nam & ob illam delendam in Gallicana Synodo cum alijs Episcopis Legatos destinauit germanum Episcopum Antisiodorensem, & Lupum Trecensem in Angliam: ob istam profligandam cum Prospero Romam ad Cælestinum Papam se contulis, quemadmodum scribit magnus auctor Baronius, Spondanus, & Binius. Tandem pro Hilario inuictè argumentor contra Norim. Ille in eo loco Epistolæ Prosperi, vbi dicitur queri de Augustini sententia, traditur non affirmasse errorem, nec Augustino contra dixisse, sed solum eundem de eo consulere voluisse. Suspendit ergo prudenter iudicium, dum sensum suum, vt ait Prosper, per litteras cum Augustino conferebat. Igitur non errauit dissentiendo. Quo ergo iure accusatur? Cùm eo se maximè Augustini discipulum esse monstraret, qui in multis, & magnis, quæ oriebantur, nec satis patebant, quæstionibus, iudi-

cium

cium continere ſolebat ſuum, ne temere quidquam definiret, proptereaque à graui, & docto Viro. Maldonato appellatur *homo miræ prudentiæ in ſuſtinendo iudicio*. Errare certè non potuit, me authore, Hilarius cum Auguſtinum imitabatur iudicium ſuſtinendo. Deſinat ergo inſectari Noris Hilarium, ne inſectando filium Patrem quoque improbare videatur. Deleat quæſo notam Semipelagianæ fuliginis inuſtam Hilario. Diſſiungat eum à Caſſiano, & Fauſto quibus adiungit. Pudeat illius dicti lib. 2. de Hiſt. Pelag. c. 14. quod mihi horrorem affert: *Hilarius Arelatenſis Semipelagianorum in Galijs Coryphæus fuit*. Vertat hoc ad Caſſianum. Vertat ad Fauſtum. In Hilarium illud quadrare non poteſt. Cedo mihi, quæſo P. Noris ſcriptorem aliquem bonum, malum qui Hilarium Arelatenſem Semipelagianiſmi appellet: ego nullum hactenus potui inuenire. Scio eum propter arrogantiam & faſtum à Leone Magno Pontifice reprehenſum, à quo tamen vitio ipſe poſtea reſipuit: ſed hæreſos inſimulatum fuiſſe nunquam vel legi, vel audiui. Non ſunt tanti doctoris, & Antiſtitis Sanctiſſimi Manes hac turpitudine inquinandi. Non patiar equidem, me viuo, clariſsimum poſt illum alterum magnum Hilarium Galliæ lumen Semipelagiana infuſa caligine obſcurari.

# Caput XVII.

*Excusationem Semipelagianismi excogitata à P. Nori ad liberandos à nota Vincentium, & Hilarium ineptam, & inanem esse. Non potuisse cum errore sanctitatem, nec apotheosim consistere. Numerantur in Pelagianis illi, de quibus Prosper agit Semipelagiani. Eiusmodi si erant Vincentius, & Hilarius coli eos nõ posse: quod ex Augustinus probatur. Imo ex alio loco Noris euincitur non potuisse eos errantes, nisi correcti fuissent sanctis ad scribi. Itaque auctore P. Nori, velij sunt de Cata logo Semipelagianorũ delendi, vel ex albo sanctorum expungendi.*

Conscienti a stimulatus Noris, vti est pius, & religiosus vir, non potuit non uidere iniuriam à se fieri, & Hilario, & Vincentio hac impostura Semipelagianismi. Conatur igitur deponere conscientiam excogitata ratione ad utrunque liberandum. Equidem fateor iustè commotum, non enim scrupulo caret infamare homines opinione sanctitatis claros, & sanctorum Fastis adscriptos. Quæsiuit ergo modum quo eorum famæ, & publicæ religioni consuleret. Ait c. 11. nullam à se *importari iniuriam siue eruditioni, siue virtuti Vincentii Lirinensis*: de eo quippe agit, dum eum Semipelagianum facit, nec enim isti erant id temporis hæretici, sed uiri doctissimi, ac sanctissimi, quos S. Augustinus *fratres ac dilectores sui*, Prosper uero licet aliàs eorum *hostis*, *sanctos honoribus*, *& meritis claros*, *& egregios in omnium virtutum studio viros honoris causa appellabant*: quam excusationem sæpe adhibet. Nominat au-

tem

tem inter eos Hilarium Arelatensem, Ioannem Casianum, & Faustum Reiensem: quos vt Sanctos in Gallia coli affirmat. Adducit rationem, quia tunc fas erat recedere ab Augustino in controuersia de Prædestinatione ad Fidem, ac ea de re in vtranque partem disputare, dum Canones Synodi Arausicanæ conditi non erant. Satis esse tunc refellere Pelagium, quem Casianus, & Faustus, & Gennadius, Vincentius, & Hilarius refutabant: & prolato Vasquij summi Theologi testimonio eo se munit, & concludit paucissimos tunc Augustini sectatores fuisse, & pungit illos, qui secum expostulabant, quòd Vincentio eam notam inussisset, quasi grandi se piaculo eam inurendo obstrinxisset, cum eo tempore liceret cum Masiliensibus Semipelagianis sentire, qui viri esent supra cæteros in Galliis doctisimi, ac sanctisimi. Ita se purgat Noris dum turpat alios, meque obiter inter illos pungit: qui cum eo non semel expostulaui.

Verùm pace P. Noris hæc ratio excusandi, & suspecta est, & minime cum doctrina ipsiusmet P. Noris cohæret. Hoc proximum primum demonstro. Legat qui volet quæ aduersus Casianum disputat in Appendice c. 2. & contra Faustum c. 3. & in Gennadium c. 4. vbi impugnat Sirmondum, & alios quosdam authores Societatis Iesu eos tres ab hæresi Semipelagiana vindicantes, & comperiet diuersum à semetipso abire Norim. Nam studio refellendi illos auctores, qui excusabant Casianum, Faustum, & Gennadium nullum iis effugium permittit minus memor eorum, quæ dixerat loco à nobis adducto lib. 2. de Hist

Pelag. c. 11. adeo vt ne patiatur quidem dictum Patris Arriagæ eorum inuincibilem ignorantiam excusantis: quo certe nomine non ineptè poterant ab erroris nota vindicari. Nullam prorsus mentionem fecit earum, quas prius attulerat, & nos protulimus rationum liberandi eosdem, quos non vult iure à Iesuitis Patribus liberari. Patet igitur sibi non cohærere, quod erat proximum. Venio ad alterum. Si ea Noris sententia vera est, magnum ostium aperitur ad effugium omnium Hæreticorum: possunt quippe suas hæreses obtegere specie ignorantiæ propriæ, & conniuentiæ alienæ, ac virtutis simulatæ. Semper mihi arma præbet Noris quibus aduersus eundem pugnem. Vertam in eum quod ille iacit in Sirmondum telum. Cap. 3. Appendicis paulo ante finem pag. 186. *Cauendum inquit, ne vnà cum Fausto pessimi etiam Hæretici excusentur*. Traho in rem meam. Cauendum ne cum Semipelagianis Semiariani quoque, & alij similes excusentur. Quod autem ait: Semipelagianos magnos homines fuisse, refuto cum Augustino *Non fecerunt hæreses nisi magni homines*. At fuerunt doctissimi, certè nihil ijs Ariani concesserunt. Arguit à multitudine. Multò plures Ariani fuerunt. Verum non fuerunt, quando sic placet Nori appellari, sanctissimi. Nego Semipelagianos sanctissimos fuisse. Nam quibus deerat vera fides, & nulla inerat gratia, sancti esse non poterant, ne dum sanctissimi. Rursum insurgit Noris *Sancti* appellantur à Prospero. Fateor. Vocabulum *Sancti* ea tempestate commune erat, & officiosum. Passim in Ecclesiasticis Epistolis, ac imprimis Augustini occurrunt exempla, à quo item memini Pelagium *Sanctum* appellari. Quem sæpe ac multum commendat: quamquàm postea doluit commen-

dasse

dasse lib. 2. retract. c. 33. Sed vt aliquando fuerint ob inuincibilem [ vt Theologice dicam ] ignorantiam inculpati, sanctos enim horreo dicere, atque eo nomine excusentur, ijdem certè auctore Nori mortuo Augustino, eiusque doctrina à Cælestino approbata excusari non possunt. Audiamus Norim mihi contra se fauentem illo cap. 5. lib. 2. de Hist. Pelag. *Mortuo*, inquit, *Augustino, eiusque libris à Cælestino approbatis cum videret Prosper adhuc Cassianum, Hilarium, aliosque pertinaciter sancto Doctori refragari seuerioribus dictis eosdem excepit: nam Calumniatores, Lupos occultos, Hipocrytes illos ignominiæ causa appellauit in opere contra Collatorem.* Ita ne verò mi Noris hosce tu mihi proponis adorandos in altaribus? sumus ne in Ægypto, vbi adorabantur Lupi cum Anubi, & Api? Te auctorem appello. Minus dixit Pastor Mantuanus

Liquidis immisi fontibus Apros

Dicere debuit

Sanctis immisi altaribus Apros.

Siue;

Quin Sancta Lupis altaria turpo.

Misces ima summis dum Semipelagianos in Cęlo ponis. Superis sic Tartara misces.

Quos nominas Cassianus, Faustus, Hilarius, Vincentius ij te auctore post Augustinum, & Cælestini litteras pertinaciter refragati sunt sancto doctori, & Calumniatores, & Lupi, & Hypocritæ extiterunt: igitur sancti esse non potuerunt. Istos ego lupos non altaribus adigam, sed abigam. Tange tu horum Aras, ego frangam. Aut ij expungendi sunt ex albo Semipelagianorum, aut delendi de libro sanctorum. Coniungi nequeunt in Ara cum Augustino aduersarij Augusti-

ni. AEquius esset dicere resipuisse illos, & damnatis erroribus in Sanctorum Fastos relatos fuisse: quemadmodum de Fausto scribit Trithemius, quem secutus Ludouicus ab Angelis Augustinianus Lusitanus Doctor insignis Conimbricensis in vita Augustini c. 15. qua demum ratione eum Aris restituam cum sua Ecclesia, quæ eum colit. Verùm Noris non vult illum correctum, sed errantem in Altari collocari, vti scribit c. 16. lib. 2. Hist. Pelag. Ego id Adynaton puto. Non adorabo errantem. Aut non errantem vnquam, aut correctum aliquando adorabo. Quare qui sanctos asserunt Cassianum, & Faustum conantur eos ab hæresi vindicare: qualis est Cuikius annotat. in Cassianum. Guesnaius in suo Sancto Cassiano illustrato. Mariana lib. de morte, & immortalit. c. 6. qui liberant Cassianũ. Driedo tract. 2. de captu. & Redempt. generis humani. cap. 2. p. 4. Sirmondus in Hist. Prædest. c. 3. & Cellotius in Hist. Gotteschalci, qui Faustum vendicant. Imo Doctissimi Theologi, & meritò non patiuntur vllam notam Chrisostomo affingi propter eximiam viri sanctitatem, & doctrinam; ac eorum multi in P. Gabrielem Vasquez acriter inuehuntur, quòd ei illam opinationem attribuat 1. p. disp. 89. c. 2. & 3. & disp. 91. c. 9. & 10. qui tamen Chrysostomum iustè excusat, eo nomine quòd Augustinum, & Cælestinum antecesserit. Quid? quòd ipsimet Pelagiani sensere Semipelagianum dogma non posse cum sana doctrina & vitæ sanctitate consistere. Quì ergo, malum, P. Noris vtraque connectit; ceu posint sibi cohærere. Cùm præsertim nihil distinguat inter molles quosdam, & alios duros Semipelagianos, quemadmodum fabiliter distinguit Vasquez 1. p. disp. 89. c. 5. & disp. 91. c. 5. & 11. & nos in mente Innocentii, & Scri-

nio

nio Augustini, & sæpe alibi secundum Augustinum lib: de Prædest.Sanct. c. 1. sed confusè procedat, & inuoluat errorem de initio fidei ex natura, qui omnino est capitalis, & Pelagianus, quem ibi tantopere detestatur Augustinus dolens in eo se aliquando, cum minus esset doctus, fuisse. Qui error ad Pelagianam hæresim pertinet. *Non receditur*, inquit, Augustinus c. 1. *ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali iudicio damnare compulsus est*. Certe hi Semipelagiani Pelagianis annumerandi. nec eo nomine excusari possunt. quòd à Pelagianismo distabant, quemadmodum existimat Noris. Vador hunc ad tribunal Augustini, meque ibi pariter cum illo litigaturus sisto. Stemus Augustini sententia. Audiamus eum lib. de Prædest. sanct. c. 1. loquentem de his Semipelagianis, qui initium fidei in natura ponebant, quos proxime duros dixi, quales vult Noris fuisse Cassianum, Faustum, & Hilarium. *Ipsum igitur initium fidei nostræ ex quo nisi ex ipso est? Quis autem dicat eum, qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Vnde fit vt si iam merenti cætera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur ipse damnauit. Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam veraciter intelligat*. Ecce error de initio fidei Semipelagianorum proprius item Pelagianorum erat. Quid quæris? c. 3. cùm errorem suum pristinum fatetur, & appellat suum eundem c. 9. *Pelagianum* appellat. Præterea c. 11. adducens verba Semipelagianorum relata ab Hilario in sua Epistola. *Cum dicitur si credideris saluus eris: vnum horum exigitur; alterum*

offer-

*offertur; quod exigitur in hominis: quod offertur in Dei est potestate.* Respondet. *cur non vtrunque in Dei est, & quod iubetur, & quod offertur?* & intrà. *Absit vt hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis?* Quid manifestius? Rursum c. 14. digrediens hinc ad alios errores Semipelagianorum cum isto connexos: contra *nouum se Pelagianorum errorem* pugnare ait. Et infrà in rem nostram distinguens inter Semipelagianos molles, & duros, & secernens aliquos, qui damnabant errores Pelagianos, vt suã defenderent opinionem ait: *Non debent fratres nostri qui nobiscum pro Catholica Fide perniciem Pelagiani erroris impugnant huic Pelagianæ in tantum fauere opinioni,* Hic distinguit molles Semipelagianos, qui fortè poterant excusari, quia initium fidei non ponebant in natura, sed tantum minimum quid meriti per modum congruitatis præexigebant in homine, non tamen eos omnino excusat, quòd fauerent opinioni Pelagianæ. Semper autem culpat Augustinus alios duros Semipelagianos, qui & facultatem petendi, & orandi, & initialem fidem in natura collocabant. Huc pertinet doctrina libri de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ, quod Donum etiam Semipelagiani subtiliter auferebant, & alijs suis erroribus adiungebant. Hunc autem errorem Pelagianis adnumerat Augustinus expressis verbis c. 12. & 15. Breui dico; quoquo modo ponatur initium gratiæ in natura, id placitum Pelagianum esse duobus in ijs libris Augustinus, & censet, & probat. Nouit iampridem P. Noris omnia me intima, & abdita Augustini sensa perpetuo, & indefesso studio accedente beneficio longæ, quæ mihi contigit, ætatis penetrasse. Prouocat tamen ad Prosperum Noris. Ego vero, & hunc ap-

pello:

pello. Is quippe initio Epistolæ suæ ita scribit. *Ne tam claris, tamque egregijs in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ iniquitatis illudat.* Et iterum circa finem: *Vnde quia in istis Pelagianæ impietatis non mediocris virulentiæ fibra nutritur.* A me stat Prosper: nec dubium, quin Augustino consentiat. Decedat igitur à sua sententia Noris, noritque Semipelagianos cum Pelagio, & hostibus gratiæ non cum Augustino, & discipulis habitare: atque adeo Aris excludi, quibus ijs omnino est propter societatem, & consortium hæreseos interdictum

Procul o, Procul este profani
Conclamat Prosper, totoque absistite Cęlo.

Sed quid exclamo? Quid cum P. Nori viro flexibili, & cereo expostulo. Ille ipse in sua sententia nutat, & ad meam declinat in Vindicijs Augustinianis cap. 8. p. 212. *Non video*, inquit, *qua ratione Faustus Reiorum, Vincentius Lirinensis, Hilarius Arelatensis Episcopus si in sententia perstitere, ac alij Galliarum Episcopi ab hæresi excusari possint, atque inter Diuos erectis Aris connumerari.* Loquor ne ego an Noris? perinde est. Gratulor mihi quòd Norim consentientem mihi tum de errore Semipelagiano eos ab Aris excludente, tum de correctione, & resipisentia necessaria ad cultum recipiendum inuenerim. Quomodo secum cohæreat ipse viderit, ego mecum tandem video cohæsisse.

Ac nequis nobis objiciat, quam proximè significauimus aduersus Hilarium Leonis reprehensionem afferre oportet grauissimum Cardinalis Bellarmini iudicium libro de scriptoribus Ecclesiast. *In Episcopatu ob nimiam superbiam reprehenditur à S. Leone Papa in Epistola ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos. Postea tamen resipuit, & multis virtutibus clarus sancto fine quieuit.* Quemad-

modum

modum Romanum Martyrologium testatur, quod est irrefragabile testimonium. Hoc planè confirmant illius acta in vita ab Honorato Episcopo Massiliensi scripta. Ei Gennadius acer, & vehemens librorum, & morum censor rillustre charitatis, & pietatis, imo & humilitatis, vt omnem notam superbiæ deleret, testimonium dedit. Coronidem imponant Baronius tantus auctor tum in Martyrologio, tum in Annalibus, & Spondanus ad annum 446. n. 6. vbi cum de illo fastu, & nimia ambitione commemorasset sic ait. *Idem tamen posthæc cedens, & vt scribit auctor vitæ eius missis legationibus totum se ad placandum animum sancti Leonis inclinata humilitate conuertens eò peruenit sanctitatis, vt ore omnium meruerit commendari; quem quidem, vt omittamus quæ de laboribus eius aduersus Pelagianam hæresim dicta sunt superius, S. Eucherius in præclara ad illum scripta lucubratione, & S. Prosper in Chronico, Constantius item in vita S. Germani Antisiodorensis, Gennadius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ac demum ipsæ tabulæ Ecclesiasticæ, in quas nomen eius anniuersaria memoria celebrandum relatum est, laudibus extulerunt ob egregias ipsius virtutes, & spectatissimam morum sanctitudinem.*

Et infrà. *Haud de illo excidat quod Gennadius tradit, adeo paupertatis amatorem, & erga inopum prouisionem non solum mentis pietate, sed & corporis sui labore solicitum fuisse, vt pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem contra vires suas homo genere clarus exerceret.*

## Caput XVIII.

*Monachi Lirinenses immerito Semipelagiani erroris appellantur. Ab eo prorsus liberi fuisse monstrantur; plerisque tum testimonijs, tum indicijs, tum argumentis. Vnus Faustus errauit. Vna Hirundo. At dum fuit Lirinæ hæresim, non prodidit, nec corrupit quemquam: imo nec potuit corrumpere. Coniecturæ Noris sumptæ ex Libris Cassiani, & dedicatis, & lectis eliduntur. Discipuli Augustini existimandi. Insignes eius Monasterij incolæ recensentur, & commendantur. Ac ipsius Monasterij præconia in eius laudem concepta & scripta producuntur: ijs Colophon opusculo imponitur.*

SI mallem cum Tullio, quàm cum Augustino latinè loqui: Fatalem hostem Lirinensium Monachorum Norim dicerem. Vbique eos Semipelagianos facit, Augustini aduersarios fingit, Casiani Discipulos appellat & Fausti Concellitas, vel Sincellitas, ac inter se de Semipelagianismo consentientes inducit. Persuasum omnino sibi habet, & nobis vult persuadere illud venerabile Cænobium Seminarium Semipelagianorum fuisse. Id expressum inuenies Lector multis in locis lib. 2. Historiæ Pelagianæ. Aliquos notabo, vt fidem tibi faciam c. 2. in titulo. *Lerinenses Monachi Cassiano contra Sanctum Augustino adhærent.* c. 10. pag. 238. loquens de Prospero confutante Casianum: *In præfatione*, inquit, *Semipelagianos Lerinenses, & Massilienses Monachos Casiani describit.* c. 11. pag. 246. *Cum aliunde nobis satis probatum sit Lerinenses à S. Augustino de prædestinatione ad fidem recesisse.* Et ibidem proximè. *Palam faciem*

*hunc Vincentium cum Hilario Arelatensi, Fausto Abbate, alijsque syncellitis Lerinensibus contra S. Augustini de Prædestinatione sententiam conspirasse* c. 13. pag. 268. *Iam ab anno 426. ex Cassiani Libris Lerinenses prauis de Diuina gratia opinionibus infectos accepimus.* c. 15. pag. 276. *Faustus veteri suorum Concellitarum Lerinensium, ac Cassiani Magistri opinioni inhærens, Augustini sententiam de efficaci electorum Prædestinatione impugnauit.* & infrà pag. 277. *Præterea Faustus totus in eo est, vt suorum Lerinensium opiniones recoquat.* Hæc sint satis. Verùm quid hoc homine faciemus! qui Semipelagianos non modo non deprimit, sed effert, & extollit: atque ad declinandam, vt ait, inuidiam *Sanctos* appellat, ac multis ornamentis afficit c. 10. & sæpe alibi: vt optabile videatur reddere id quod erat exitiabile, de quo superius nos multa in rem diximus. Verum vt ei hanc excusandi viam præcludamus, animaduertimus eos etiam illo inuito errasse, cùm Prosper eos *Lupos* appellarit. Præterea si illi Monachi Semipelagiani extiterunt, non diù innocentes fuerunt ipso etiam Noris Auctore: Nam cum ij ex Cassiano didicerint, & hic suas Collationes scripserit anno 426. quemadmodum tradit Noris lib. 2. c. 5. siuè vt mauult Iansenius & Vossius anno 429. vel anno 430. & Cælestinus epistolam pro Augustino Apologeticam anno 432. vel teste Noris l. 2. c. 10. ediderit eorũ innocẽtia intra septennium stetit. Nam post euulgatas Cælestini litteras excusari non possunt: ita discurrente eodem Patre Noris in Vindicijs Augustinianis c. 8. pag. 312. his verbis, *Quam igitur excusationem concinnabimus pro Hilario, pro Fausto, pro Vincentio, pro reliquis Gallis præsulibus, qui ante Arausicanam synodum, Massiliensium opiniones mordicus sustinebant? An isti forte Cælestini litte-*

*ras prorsus ignoraſſe dicentur? At illæ litteræ datæ erant ad Epiſcopos, non Macedoniæ, aut Bithyniæ, ſed ad Epiſcopos Galliæ.* Scio Norim hæc dicere impugnando eorum ſententiam, qui capita illa annexa Epiſtolæ Cæleſtini eius eſſe exiſtimant, ac proinde non loqui de litteris germanis Cæleſtini, quas illis capitibus carere affirmat, quare à me perperam adduci in teſtimonium hæreſis Semipelagianæ. Verum idcirco eum laudaui, quia illa capita vulgo eſſe Cæleſtini creduntur; & quia Noris alio in loco, ideſt c. 5. Libri 2. Hiſt. Pelag. exiſtimat cum Proſpero ſatis fuiſſe illas litteras Cæleſtini ad condemnandos Semipelagianos: vel igitur Noris tunc putabat capitula in ijs contineri: vel ſatis eas per ſe ſine capitulis eſſe ad damnationem erroris Semipelagiani. Audiamus Norim pag. 191. *Mortuo autem Auguſtino, eiuſque libris à Cæleſtino approbatis, cum videret Proſper adhuc Caſſianum, Hilarium, alioſque pertinaciter Sancto Doctori refragari ſeueriori bus dictis eoſdem excepit. Nam calumniatores, Lupos, occultos Hypocritas ignominiæ cauſa appellauit.* Vtcumque ſit Auctore P. Noris Lirinenſes poſt litteras Cæleſtini, ſi Semipelagiani extiterunt, & Caſſiano conſenſerunt, Calumniatores, Lupi, Hypocritæ deuenerunt. Primum cum affirmet Noris, neceſſe eſt & alterum affirmare. Miſeros Lerinenſes, ſi tam cito à ſua illa felicitate ceciderunt? quibus vero ſuam ſententiam de illorum errore probet Noris oportet videre. Nam & multa, & idonea eſse debuerunt ad illum errorem ijs attribuendum. Id vero ille nullo alio argumento aſtruit, quàm quod Caſsianus libros partim eorum rogatu compoſuit, partim ijs dedicauit: & compoſitos ad illos miſit; quòd quam fluxum ſit & futile ecquis non videt? An

perinde est rogare quemquam vt scribat, ac assentiri scribenti? & in eodem numero ponendus ille, cui opus dedicatur, quo ille, qui dedicat? Num legere libros alienos, est alienam doctrinam probare? Nisi fortè Noris putet librum Cassiani Pestilentiæ instar esse, quæ tangentem infecit, aut Pandoræ Pyxidem, quæ aperta, mala seminauit. Tutior erat & firmior in Fide Honoratus quam vt oblato sibi Cassiani opere nutaret. Purior, quam vt rogando Cassianum vt scriberet, eius scriptis turparetur. An ille nouerat Cassianum praua scripturum? Erat magnus Vir Cassianus, multa recta scripsit: ea optabat Eucherius, de alijs non cogitabat. Iam verò qui Monachi eius opera legebant eorum nonnulli simpliciores venenum non nouerant; alij etsi nouerant, ab illo abstinebant. An quod Apes incidant in Pratum, vbi sunt herbæ noxiæ, & virulentæ, non eas à floribus secernunt, & his selectis illas prætereunt, & fugiunt? Propono aptum & domesticum exemplum. Pater Iacobus Monterius Vir Sanctissimus Nouitiorum in Societate Iesu multos annos Magister: vtebatur Cassiano, ac in eius lectione erat exercitatissimus me sub eo feliciter merente, quo nomine soleo gloriari: sæpe Nouitijs Cassiani Collationes exponebat; ac ex ijs idoneam, & vtilem doctrinam eliciens, ad omnium virtutum exempla formabat: & quod erat insigniter pius, & egregiè doctus, præteribat ea quæ suspecta erant, & nocere poterant; & interdum animaduertebat nonnulla in eo esse à recto fidei sensu aliena. Memini me multum ijs documentis profi-

cere, nec dubito quin & alij proficerent sine vllo periculo errandi. Equidem de illo affirmare possum, ac debeo excellentem eo in munere extitisse, & singularem doctrinam, vitæ sanctimonia coniunxisse illius egregium de specimen dedit in nonnullis de ratione meditandi Diuina, quæ præclara edidit opusculis · scripta autem plura extant summorum Virorum, qui eum agnouerunt testimonia, inter quos ego minimus iudico eum dignum esse, qui sacris fastis inseratur. Seruo adhuc multa ex ijs, quæ ab illo accepi documenta virtutis, & illius, quæ apud me perpetua viuit, memoriam in parte gloriæ pono. Potuerunt igitur illi Abbates, & Monachi Viri prudentissimi, & Sanctissimi, Cassiani scripta, & piè, & tutò, imo & vtiliter legere citra periculum, atque adeo sine suspicione erroris, in quam non debuit eos Noris vocare, sine magnis, & iustis rationibus; sumpsit sibi quod probandum erat, videlicet illam Cassiani lectionem nocuisse. De hoc quæritur, vtrum nocuerit? Qui affirmat? negandum potius erat; nec temerè de hominibus piis, & Deo deditis suspicandum. Quid? quod multi fortasse Cassiani opera non legerunt. Quod si legerunt, legerunt etiam Augustini, in quibus erat antidotum contra illud venenum. Debuit ne venenum antidoto esse præsentius? Pluris ego facio Augustinum, quam vt ei timendum à Cassiano existimem. Prope erat Prosper, qui refutaret. At non legebant Prosperum, & solum Cassianum legebant. Incassum affirmet, qui Faustum audiebant auscultare Prosperum poterant. Non multum interest inter

Fau-

Faustum, & Prosperum, nisi quod Faustus infaustus, Prosper felix euasit, quod Augustinianus erat. A quo Faustus hic Semipelagianus post illum Manichæum alienus.

Verùm enim verò duo sunt argumenta idonea, quæ confirmant innocentiam Monachorum. Vnum quod nulla huius instituti hominum fiat mentio à Prospero, & Hilario in suis litteris, vel teste Nori, qui vult Semipelagianos fuisse clarissimos, idque Prosper significat, cùm dicit meritis, & honoribus claros. Et Hilarius, Sunt ex parte tales personæ, vt his consuetudine Ecclesiastica laicos summam reuerentiam necesse sit exhibere. Alterum Prosperum disertè dicere initio Epistolæ eos Semipelagianos in Massiliensi Vrbe consistere. Multi, inquit, seruorum Christi, qui in Massiliensi Vrbe consistunt. Massilienses igitur erant, non Lirinenses Semipelagiani, vti vulgò Theologi scribunt, Cur ergo Lirinenses infamantur? Adijcio contra Norim: huiusmodi Monachos nihil scripsisse contra doctrinam Augustini: vbi autem scripta nulla sunt, nullum extat argumentum erroris: quo indicio ipsemet Noris, & quidem iure, defendit Lupum Trecensem ab errore Semipelagiano.

Tam procul absum ab opinatione Noris, vt existimem nullum præter Faustum Lirinensium Monachorum Semipelagianum fuisse. Equidem diligenter inspecta, & accuratè examinata serie Abbatum Lirinensium, vnum inuenio Faustum compertum illius erroris: quem idcirco haud illepidè Barralius *Saulem inter Prophetas* appellare solet. Legat Barralium, qui volet. Ego breuiter me expedio. Honoratus Primus Abbas, fuit Sanctus, & Miraculis clarus. Maximus

successor Honorati expers eius erroris fuit, eodemmet Nori Auctore. Nazarius quem quidam Maximo successisse affirmant, à nemine culpatur. Faustus, qui indubitatus Maximi habetur Successor, hic ipse Hæreticus est. Eudo Maximi optimus Discipulus Magistrum secutus expers illius labis extitit. Ammonius nihil cum ea gente commune habuit. A qua etiam Ioannes, Siffredus, Vincentius alter ab illo Commonitorij Auctore, & qui eum excepit Amandus, longissimè abfuerunt. Iam vero, qui extra hunc numerum sunt Caprasius, Eucherius, Lupus, & Theodorus, Iustus, Saluianus, Salonius, Veranius, Cæsarius, Anatolius, Apollinaris, tàm sunt ab ea contagione alieni, vt nullum eorum, qui nonnullos expresse liberat Noris, ausus ipse sit eius sectæ nomine appellare. Quos autem appellat Vincentium, & Hilarium eos nos duos vindicauimus. Manet itaque vnus Faustus, Saul inter Prophetas. Hirundo inter Luscinias, Noctua inter Aquilas. Eum solum illa Insula serpentem habuit, vt se Paradisum probaret, quo eã nomine Eucherius de laude Eremi affecit. Obseruo autem in Epistola Eucherij ad Hilarium apud Barralium in qua plures Viri sanctitate insignes Lirinensis Insulæ nominantur, nullam mentionem fieri de Fausto. Ac ne in Hymno quidem, qui appellatur Prosa in laudem B. Honorati, cum penè omnes illustres illi monachi recenseantur, vlla fit Fausti commemoratio. Hilarij verò fit honorifica in eo Hymno. At multo honorificentior est illa expresio eius Imaginis, quæ apparet in Missali antiquo Lirinensi, vbi quatuor extant Effigies exclusæ Argenteæ, videlicet in prima facie Sancti Honorati, S. Maximi, S. Hilarij, S. Caprasij subscripto Disticho

Lirinæ

Lirinæ Fratres hic vestros cernite Patres .
Isti bis bini sunt Flos, & Gemma Lirini.

In secunda visuntur aliæ quatuor, nimirum S. Mariæ.S. Ioannis, S. Cæsarii, S. Porcarii ; nusquam Faustus. Ille solus extra Chorum . Ac ne quis sinistrum quidpiam suspicetur de Vincentio, quòd inter hos minimè nominetur, sciat is nomen illius exprimi ab Eucherio in epist. de laude. Eremi ad Hilarium. *Hæc*, inquit, *habuit reuerendi nominis Lupum , qui nobis illum ex Tribu Lupum* retulit. *Hæc habuit germanum eius Vincentium interno gemmam splendore conspicuam* . Esse autem hic nostrum Lirinensem Auctorem Commonitorii Noris ipse infestus illi auctor fatetur lib. 2. Hist. Pelag. c. 11. pag. 251. His ita & compertis, & demonstratis, superest mirari tam pium, & doctum Virum Augustiniani instituti, sanctissimum illud Monasterium, quod alii eiusdem Professionis scriptores Augustinianum fuisse contendunt, Semipelagiani erroris fuligine inficere voluisse. Cuius rei vt essent magna, & idonea argumenta, debuisset ille pro suo ingenio, ac conditione conari ea diluere , & illud dedecus remouere . Cùm autem nulla eius erroris indicia essent, nec ille vlla prodiderit, dolendum est eum tam de illis Monachis temerè [ vt meo more , idest ingenuo , & libero dicam ] iudicasse . Ago causam & piam , & iustam , & Augustinianam , atque adeo meam : nego quippe me quemquam esse Augustini amantiorem, & obseruantiorem . Volo Monasterium S. Honorati honoratum seruare . Inhonoratum esse non patiar . Sentio cum Torello Viro eruditissimo , mihique carissimo , ad eum accedo , à quo Noris discedit . Restituo Cænobium illud Augustino, cuius illud esse non potuit , si Semipelagianum

fuit. Potuit, si ab eorum errore ex pers, vt opinor monstrasse me, penitus abhorruit. Quòd si illam Insulam Serpentes Semipelagiani frequentarunt, præstaret sanè inter Serpentes, qui inde sunt, cum fundatum est ab Honorato expulsi, mansisse, quam illos alios Semipelagianos multo sæuiores, ac turpiores admisisse. Agitur de mea item Religione, nam cùm ego eas Insulas lustrassem, & Monasterium illud pietatis causa inuisissem, & lipsana SS eiusdem, ac imprimis Vincentij coluissem, quod de me Noris sibi referente commemorat lib. 2.c.11.ad finem pag.252.nisi opinionem eiusdem confutarem, superstitiosus fuisse viderer, quòd reliquias Semipelagianorum, qui Pelagianorum reliquiæ appellari solent, coluissem; quod à me est alienissimum, quo nullum tu acriorem sectariorum hostem inuenies: à quibus, & Patriæ ingenio, & proprio genio, causa Fidei vehementer abhorreo. Sum quippe Lusitanus, quos nulla vmquam hæresis infuscauit, inter quos pura, & immaculata Religio viuit, vigetque, & si quis forte [ homines quippe sumus ] contra ipsam delinquere comperitur, acerbissimè plectitur. Illud certè constat, nusquam certiora, & grauiora esse supplicia constituta.

Equidem recolens, & quæ apud scriptores legi, & quæ ipsemet, cùm illac transiui in eo monasterio monumenta vidi, tum doctrinæ, tum morum; non possum adduci, vt credam, illud Semipelagianorum receptaculum fuisse. imò Palæstram virtutis, Lyceum Fidei, stadium sacrarum exercitationum, scholam meditationum, Paradisum cælestium deliciarum, Emporium mercium spiritualium in confinio Cæli terræque positum: Angelorum, hominumquè commer-

S cium,

cium, Insulam honoratam; vltra Fortunatas felicem, extra scopulos errorum, & syrtes Hæresum constitutam. Idque mihi persuaserunt, quæ à me ibi diligenter sunt indagata Doctrinæ ac sanctimoniæ vestigia, in quæ cum inciderem, mirè afficiebar ad virtutem, & ex arcanis animi mei motibus loci sanctitatem æstimabam, qui sanè vehementes tunc fuerunt, & me cùm illorum recordor, etiam num ad uirtutem haud mediocriter accendunt. Verum afferamus aliquot eius temporis Scriptorum testimonia. Est imprimis elegantissimum, & suauissimum illud S. Eucherij, qui Monasterium illud Siren Cælestis incoluit, & ibi diuinitùs cecinit. Elogium audiamus. lib. de laude Eremi ad Hilarium. *Equidem cunctis Eremi locis, quæ piorum illuminantur secessu reuerentiam debeo, præcipuo tamen Lirinam meam honore complector, quæ procellosis naufragijs mundi effusos pijssimis vlnis receperat venientes ab illo seculi flagrantes æstu blandè introducit sub vmbras suas, vt illic spiritum sub illa interiore Domini vmbra anheli resumant. Aquis scatens, herbis virens, floribus renitens, visibus, odoribusque iucunda, paradisum possidentibus se exhibet, quem possidebunt. Digna, quæ Honorato auctore fundata sit, quæ tantis institutis, tantum nacta sit Patrem, Apostolici spiritus vigore, & vultus honore radiantem. Digna quæ illum suspiciens, ita emitteret, digna quæ Præstantissimos alat Monachos, & ambiendos præferat sacerdotes. Hæc nunc successorem eius tenet Maximum nomine clarum, quia post ipsum meruit adsciri. Hæc habuit reuerendi nominis Lupum, qui nobis illum ex Tribu Beniamin Lupum retulit. Hæc habuit germanum eius Vincentium interno gemmam splendore perspicuam. Hæc nunc possidet Venerabilem grauitate Capresium veteribus Sanctis parem. Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui diuisis cellulis Ægyptias partes Gallijs nostris intulerunt. Quos ego illic, Iesu bone, Sanctorum cætus conuentusquè vidi? Pretiosa in his suaui vnguedine*

*alabastra flagrabant, spirabat passim odor vitæ interioris hominis faciem exterioris habitu præferebant, constricti charitate, humilitate deiecti, mollissimi pietate, firmissimi in spe, incessu modesti, obedientia citi, occursu taciti, vultu sereni, prorsus ipsa protinus contemplatione Angelicæ quietis agmen ostendunt, nihil concupiscunt, nihil desiderant, nisi eum solum, quem desiderantes concupiscunt. Dum beatam quærunt vitam, beatam agunt, eamque & dum adhuc ambiunt, iam consequuntur. Itaque optant à peccatoribus segregari? iam segregati sunt. Castam possidere vitam volunt? possident. Omne in Dei laudibus tempus habere ambiunt: habent. Desiderant gaudere sanctorum cœtibus: gaudent. Christo frui cupiunt: spiritu fruuntur. Vitam Eremi adipisci gestiunt: corde adipiscuntur. Itaque per largissimam gratiam Christi multa ex his, quæ in futurum exoptant, in præsentiarum merentur. Rem porro ipsam cupiunt, dum spem sequuntur. Habent etiam in labore ipso præmium laboris, quia penè iam in opere est quod merces erit. Horum tu, mi carissime Hilari, redditus, insertusque consortio plurimum tibi, plurimum etiam illis contulisti, qui nunc pro reditu tuo alacri exultatione lætantur.*

Nondum Faustus Domicilium Lirinæ posuerat. Infaustus Incola. Ne uerò quis existimet ab eo corruptam, & infectam insulam, animaduerto, eum uti genio suo, & suæ gentis ingenio tectum, & cautum non ausurum virus occultum prodere, ne perderet opinionem virtutis, & spem gradus, quem affectabat. Itaque post eum scripsit Cæsarius sequentia Eucherij laudibus consonantia. *Benedicimus Dominum Deum nostrum, qui sanctam institutionem, & admirabilem consuetudinem habitantium in Insula Lirinensi iugiter crescere, & maiori dignatur gloriæ cumulo sublimare. Quæ iam penè ita virtutum meritis profecit, vt altius sublimari non posset: O Felix, & beata habitatio Insulæ Lirinensis, vbi tam sanctis, & tam spiritualibus lucris gloria Domini Saluatoris augetur, & tantis damnis Diaboli nequitia mi-*

*noratur. Beata inquam, & felix Insula Lerinensis, quæ cum paruula, & plana esse videatur, in terris innumerabiles tamen montes ad Cælum misisse cognoscitur. Hæc est, quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes Ecclesias erogat Sacerdotes, & quos accipit filios, reddit Patres, & quos nutrit paruulos, reddit magnos, quos velut Tyrannos excipit, Reges facit. Nam omnes quoscumque felix, & beata habitatio illa susceperit charitatis pennis ad excelsa virtutum culmina Christo sublimare consueuit. Cum enim paruitatem meam hæc sancta Insula velut præclara mater, & vnica, ac singularis bonorum omnium nutrix brachijs quondam pietatis exceperit, & non paruo spatio edocere, vel nutrire contenderit, licet reliquos ad virtutum culmina euexerit: à me tamen, quia cordis mea duritia contradixit, omnes negligentias auferre non potuit.* Insignis item laus est eiusdem Insulæ vox illa Sancti Antonij Cyri è patria solitudine ad illam migrantis apud Benedictum Gononum Burgensem Monachum Cælestinum lib. 1. in eius vita ex magno Felice Ennodio decerpta *Sanctorum igitur petamus exercitum, & illam Lirinensis Insulæ cohortem irriguo inquiramus ardore.* Cui concinit auctor vitæ ibidem. *In hac igitur nutrice Sanctorum Insula, cùm præstaret meritis, tamen omnium humillimus apparebat.*

Iure igitur de isto Monasterio sibi vindicando tanquam suo, contendunt duo nobilissimi ordines Sancti Augustini, & Sancti Benedicti, vt in eorum Chronicis apparet: vtrisque ad se trahentibus illud insigne Monasterium Lirinense, quod nisi esset Sanctorum seminarium, sed Semipelagianorum latibulum, minimè de illo sibi assumendo decertarent.

Pleraque huius Insulæ encomia per diuersos libros sparsa, ceu Gemmas, siuè Margaritas hinc inde collecta [& propè est Insula S. Margaritæ] in vnum The-

sau-

ſaurum vere dixeris coniecit Barralis initio ſui pulcherrimi operis, cuius hoc eſt ſchema. *Fons ſitientibus vitam æternam*: Acies inſtructa prælijs: Admirabilis conſuetudo: Aluearium mellis. Ara ſacrificij. Beata Inſula. Benedicta Terra. Conſecrata habitatio. Commendata congregatio. Comprobata inſtitutio. Caminus humiliationis, & agonis. Caſtra Dei. Cellulani Monachi. Celebranda tellus, Cohors ſanctorum. Deſertum Lirinenſe. Dulcis locus. Dulce ſolamen. Domus Dei, decorata, dedicata. Eremus Lirinenſis, Marinum Inſularum. Exercitus Sanctorum. Fons gratiarum, fæcunda, fælix, fælicior, fæliciſſima manſio. Fines Gallicani. Glorioſa Ciuitas. Habitatio iam venenatorum animalium vacans, inacceſſa olim, horridaque, nunc Hieruſalem ſuperna. Horreum vitæ. Inſula Lirinenſis marina, ſacra, ſacrata, plana, parua, lætans, pollens, illuſtris, locuples, vtilis. Ignotum exilium, interior vmbra, & Domus, inimica aduerſario, latebra ſanctorum, latibulum illuminatum, menſa Chriſti, mons Lirinenſis, manſio in Chriſto viuentium, nutrix ſanctorum, Nauis Lirinenſis, ouile Dominicum, porta Cæli, palæſtra Eremitidis congregationis, Paradiſus terreſtris, quies piorum, religionis exemplar, ſecretum opportunum, ſchola Chriſti, ſacer locus Deo dicatus, ſtadium Inſularum, ſolitudo, ſedes remota, ſpeculum ſanctimoniæ, ſimus tranquilliſſimus, templum ſanctum, mirabile inſulanum, ſacrum Monaſterium, Vmbraculum Monachorum, ſimilis Mari, quod viuos retinet, & mortuos foras reijcit, Monaſterium fundatum ab illo Patre præmemorato Honorato primo Inſularum, poſtea rectore Eccleſiarum.

Rem

Rem maximè continet Hymnus ille celeberrimus, & sua vetustate commendabilis, cuius inscriptio apud Barralium est.

Prosa in B. Honorati laudem, & aliorum Sanctorum Sacræ Insulæ Lerinensis.

Lætus Chorus Lerinensis
Agat laudibus immensis
Festa cum tripudio.
Martyrum & Confessorum
Quos assumpsit Rex Cælorum
De Lerini gremio.
Primus fuit Honoratus
Sanctitate decoratus
Horum Pater Omnium:
Qui Lirinum illustrauit,
Dum Lirinense fundauit
Sacrum Monasterium.
Caprasius ducens vitam
Terrenam semper oblitam
Sanctus esse meruit.
Maximus Præsul Reicensis
Abbas primo Lirinensis
Miris signis claruit.
Hilarius Vir præclarus
Cæsarius Christo carus
Arelati Præsules.
In omnibus Deo grati
Fuerunt Viri Beati
Carnis actu exules.

Vincentius fulsit viuens
Omnes hæreses conuincens
In Commonitorio.
Abbas fuit Monachorum
Sanctus Amandus multorum
Simul Lirinensium.
Eudo prius Vir Beatus
Est à Christo sublimatus
Ad Cæleste gaudium.
Ioannes qui mente pura
Derelicta prẹlatura
Hæsit Lirinensibus.
Eucherius collaudauit
Et Lirinum commendauit
In suis tractatibus.
Vincentius Sanctonensis
Lupus etiam Trecensis
Atque Iustus Lugdunensis
Fuerunt Antistites.
Insignem item Valerium
Christi seruum egregium
Miris signis eximium
Collaudant superstites.
Vir Siffridus Vendacensis.
Et Lambertus Venciensis
Præsules quidem immensis
Fulsere miraculis.
Vir Germanus Seruus Christi
Mundo liberatus tristi
Cum palma meruit sisti
Christo sine maculis.

Porcarius & quingenti
Fratres palma cum ingenti
Martyres Dei fulgenti
Perfruuntur gloria.
Augustus eius consortes
Passione Viri fortes
In Cælesti Curia.
Martyres & Confessores
Quondam Lirinę cultores
Precemur vt protectores
Nostri sint per omnia.

AMEN.

Esto Coronis illa Oratio posita à Barralio pag. 29. quæ huiusmodi est.

Deus qui presentem Insulam Lirinensem martyribus, Pontificibus, Confessoribus, atque Innocentibus, vt eorum patefecit vita gloriosa, multitudine copiosa decorasti, concede nobis eorum auxilium deuotè petentibus ad supremi Regis consortium peruenire. Per Christum Dominum nostrum.



# Caput XX.

*Pater Noris metu ne temeritatis argueretur, quòd solus ex Catholicis S. Vincentium Lirinensem Semipelagianismi condemnasset, subsidiarium aduocauit P. Christianum Lupum erulitum virum sui instituti: nouus hic hostis Vincentio aduenit. Serum tamen, & inane auxilium tulit. Afferuntur eius verba & accuratè & solidè refutantur. Noris & Lupus in hac armorum societate sensibus pugnant.*

Religione tactus & metu pauidus P. Noris ne cum solo Vossio, quem allegauerat, videretur sentire, Socium Christianum & Catholicum succenturiari sibi curauit fidum amicum, & alterum Achatem P. Lupum: ac ne verum esset

*Lupi Mœrim videre priores*

Quod stuporis indicium erat, posteriorem Lupum videre Noris voluit. Itaque rogauit, & amicè, & enixè, vt sibi subsidio esse vellet, ne solus in arena mecum tot auctoribus stipato pugnaret. Nec ille repugnauit, & memor illius Virgiliani Carminis, quod mirum est in homine erudito, sed amuso

*Fratrem ne desere frater*

suppetias illi properanter tulit. Nequis vero putet hanc vanam suspicionem esse, tempus, & occasio-

nem obseruet: & veram rem esse comperiet. Igitur Lupus quarta parte Notarum in Concilia pag. 757. & 758. sic scribit: *Sancti Augustini de diuinæ gratiæ ac prædestinationis efficacia doctrinam Sulpitius Seuerus, Lerinensis Vincenius, aliíque olim Gallorum Clerici & Monachi oderant pessimè; adeòque infamabant, vt maledicendi studio semetipsos apud omnem posteritatem reddiderint famosos. Apostolicam, qua doctrinam istam declarauit authenticam laudatus Cælestinus Epistolam non minùs oderant. Verùm quid? Sedis illius dogmaticum iudicium impugnare, aut deuocare in dubium Gallia tum ignorabat. Aureum illud Vincentij pro fidei Catholicæ antiquitate Commonitorium, ad instar Canonum Antiochenorum, est malæ radicis non malus per omnia fructus. Ostendere conatur, non Augustini, sed nouorum dogmata esse aucta, ideòque hæc, non ista per Cælestinum fuisse comprobata. Epistolam, quòd impugnari non posset, ita placuit detorqueri. In postremo Commonitorij capite hæc exsequitur verùm stylo adeò pauido, vt se Vincentium scribere ausus non fuerit, sed vendere quasi nescio quem Peregrinum. Hac interim arte non solùm suos solari, & opimam Galliæ plebem deludere, sed & Sixtum tertium Pontificem, de Pelagiani dogmatis amicitia olim suspectum, tentauit ad Antecessoris sui Decretum ita interpretandum circumscribere. Et hinc tria posteriora sui contra Collatorem Libri capita non aduersus Collatorem, sed aduersus hunc Peregrinum omninò scripsit Sanctus Prosper; & conclusit; Confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Cælestino, operetur & in Sixto, & in custodia Dominicis gregis hæc sit pars gloriæ huic reseruata Pastori; ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos in Apostolo Petro, dum eius fidem ab omni lapsu stabiliuit Dominus, affirmat fuisse non hunc, aut illum, sed omnes omninò Romanos Pontifices, ideoque post omnium dogmaticum è Cathedra iudicium asseuerat damnatis nusquam nouum esse tamen, sed solum sem-*

*per pœnitentiæ remedium fuiſſe, & fore præſtandum.*

Miram dei prouidentiam! qui conſulere voluit innocentiæ S. Vincentii Lirinenſis! Hactenus proceſſeram, & ſcribendo, & cudendo huiuſmodi opuſculum, cum opportunè ad manus meas peruenit, hic in domo Illuſtriſſimi Epiſcopi Sebaſtiani Piſani, viri vndequaque clariſſimi, liber P. Lupi, quem antea non videram, ex quo proximam particulam decerpſi, vt eam refutarem, necquid eſſet quod deſideraretur in defenſione Vincentii. Eam aggredior, & expendo Lupi verba, ſperans me facturum vt Chriſtianus Lupus non ſit Nori Comes, nec vt ait parœmia *homo homini Deus*, ſed contrà: *homo homini Lupus*. Singula Lupi dicta examino. *S. Auguſtini de diuinæ gratiæ ac Prædeſtinationis efficacia doctrinam Sulpitius Seuerus, Lirinenſis Vincentius, aliique olim Gallorum Clerici, & Monachi oderant peſſimè.* Miror in cogitantiam Lupi ortam ex odio concepto in Vincentium. Omittit Pelagianos certos, & manifeſtos, & nominat incertos, & nullos. Vbi Caſsianus? Vbi Fauſtus? Vbi Gennadius? quos ipſe Noris affirmat Semipelagianos fuiſſe? hos præterit Lupus, & nominat Sulpitium Seuerum leuiter, & in ſenectute tinctum fuligine Semipelagiana quam tamen citò abraſit, in meliorem frugem redactus, & in Fide Catholica, vti decebat Beati Martini diſcipulum, mortuus. Nam vt ille inter Millenarios fuerit, auctore Hieronymo, & inter Semipelagianos, auctore Gennadio, & quidem ſuſpecto, vtranque hæreſim abiurauit. Vincentius verò Lirinenſis vt omni ſuſpicione careret multi ante nos, & nos poſt ipſos diſputando effecimus. Inconſideratè igitur Lupus, imo, & malignè Caſsianum, & Fauſtum, & Gennadium præteriuit: & Sulpitium, & Vincentium incuſauit

Quod addit *alij Gallorum Clerici, & Monachi oderant pessimè;* non satisfacit. nam debuerat adijcere *Episcopi* quorum aliquot ea labe infectos constat ex Epistola Prosperi ad Augustinum, quam non videtur vidisse Lupus totus inhians in Vincentium; nimirum illa Epistola non erat intra Canones, quos transilire non audet Lupus. Monachos vnde nouit Semipelagianos fuisse? De presbyteris loquuntur Prosper, & Hilarius. De Monachis tacent: sed Lupus vt includeret Vincentium Monachos nominauit, & in eo à Nori suo discessit, qui negat Vincentium cùm scripsit, fuisse Monachum Lirinensem.

Pergit Lupus. *Apostolicam, quæ doctrinam istam declarauit autenticam laudatus Cælestinus Epistolam non minus oderant.* In qua parte historiarum hoc reperit P. Lupus? Cælestini Epistola recepta fuit beneuolè, non hostiliter impugnata, nam quæ à Nori, & Vossio fingitur deprauatio, impugnatio non est, sed detorsio: proferat Lupus illius hostes, sed nullos intra suos Canones inueniet. Etenim quæ sunt extra Canones parum curat. Progreditur.

*Verum quid? sed is illius dogmaticum iudicium impugnare, aut deuocare indubium Gallia tum ignorabat:* Igitur non oderat pessimè Gallia Epistolam Cælestini, imo amabat, & recipiebat: siquidem impugnare, & vocare in dubium illius auctoritatem nesciebat. Qui autem nec dubitat, nec impugnat consentit auctoritati. Innocens ergo Gallia erat, & apud eam in loco auctoritatis Epistola Cælestini consistebat, immota, & immutata. Hoc ipsum significat illud verbum *deuocare n dub um*, nam *deuocare* est de loco deducere; quare qui non deuocat, & ignorat deuocare, finit rem

in

in ſuo loco eſſe, ex quo ſequitur Galliam minimè de iudicio dogmatico Cæleſtini dubitaſſe. Procedo.

*Aureum illud Vincentii pro Fidei Catholicæ antiquitate commonitorium ad inſtar Canonum Antiochenorum eſt malæ radicis non malus per omnia fructus.* In regno ſuo eſt Lupus: nempe intra Canones, ego tamen deſidero ut exprimat qui Canones iſti fuerint, & cuius Concilij, nec enim unum tantum fuit Antiochenum Concilium. Scio eum loqui de illo Concilio Antiocheno facto contra Athanaſium anno Chriſti 341. Iulij anno quinto, auctore Conſtantio, ſeu potius Conciliabulo. Improbo illam particulam *malæ radicis non malus per omnia fructus*; uidetur enim diſſonare à uoce Chriſti *non poteſt arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere.* Deinde non capio illud *per omnia*: nam ſi malum exquocunque defectu, non requiritur malum ex omni parte, ut malum ſit. Tandem Canones illi Antiocheni uidentur à Lupo approbari tanquam boni, cùm tamen reiecti fuerint ab Eccleſia teſte Baronio, & Spondano, qua de re audiat optimum auctorem, ante ſe notas ſcribentem in Canones Conciliorum, Seuerinum Binium. *Horum nonnulli tanquam orthodoxæ fidei, & bonis moribus ab Eccleſia recepti s contrarij explodantur*: non igitur debuit Lupus confusè loqui *ad inſtar Canonum Antiochenorum*. Poteſt tamen excuſari quòd dixit *per omnia*. Verùm, ſi Vincentius ſcripſit Commonitorium contra doctrinam Auguſtini confirmatam à Cæleſtino, malum profectò illud opus fuit, nec poſſunt cætera in eo contenta excuſari: nam cum finis peruerſus eſt, peruertuntur etiam quæ ad eum ordinantur. Addit.

*Ostendere conatur non Augustini sed suorum dogmata esse auita; ideoque hæc non ista per Cælestinum fuisse comprobata*. Hoc antè dixerat Noris, & non probarat : hæc ex eo desumpsit Lupus nec probat. Aliud agebat Vincentius quam id quod ei imponit Lupus, & aliud agebat Lupus cum Vincentio ista imponebat: minus quippe considerate scribebat: nihil enim tunc de Augustino Vincentius cogitabat, sed totus ad impugnandas nouitates hæresum incumbebat. *Auita dogmata*, & antiqua sunt Augustini de Prædestinatione, gratiaque sententiæ, quemadmodum suprà ostendimus, & nunc manifesto huiusmodi argumento probamus. Ante Augustinum erat hæresis Prædestinatorum, vti ex vitis Patrum auctore Eruditissimo, & elegantissimo Rosuueydo superiùs probauimus, hæc autem hæresis orta fuit ex doctrina de Prædestinatione, & gratia liberali Dei, citra, & ante omne meritum naturæ; igitur antiquior erat quàm ille error: vigebat ergo in Ecclesia multò ante Augustinum illa doctrina: itaque auita, & prisca erat à Christo, & à Paulo hausta, & accepta, & tradita, vnde non poterat tanquam noua à Vincentio improbari, sed contraria Semipelagiana, quæ post illam emerserat, & noua exurrexerat, atque adeo condemnabatur à Cælestino Pontifice nouitatis, quo cum Vincentius qui nouitates insectabatur penitus consentiebat. Rursum.

*Epistolam quod impugnari non posset ita placuit detorqueri*. Perinde, opinor, est detorquere, ac impugnare : imo deterius aliquanto illud existimo. Nam qui impugnat saltem fideliter sensum retinet auctoris, cui opponit suum priuatum, qui falli potest, nec nocet publico, at qui detorquet peruertit sensum publicum, & in er-

rorem

rorem communem trahit; quod multo eſt perniciosius, Verùm neque Vincentius detorſit, nec impugnauit, retinuit ſenſum Cæleſtini, eique conſenſit; quemadmodum ſuperius monſtrauimus, contrà quàm Voſſius, & Noris exiſtimarunt. Sequitur.

*In poſtremo Commonitorij capite hæc exequitur. Verum ſtylo deo pauido, vt ſe Vincentium ſcribere auſus non fuerit, ſed vendere quaſi neſcio quem peregrinum.* Imo quia in fine hanc doctrinam tradidit propterea magis commendauit; nam quæ poſtrema dicuntur veluti teſtamento mandantur, & altius imprimuntur; ſtylum pauidum dicit, qui pauidus eſſe non poteſt, ſed à pauido proficiſci. Nec verò pauidus erat Vincentius cum illa ſcripſit, ſed animoſus quòd duorum Pontificum auctoritate nitebatur, & ſupra petram ſedebat, & quidem Apoſtolicam, vbi nemo pauidus eſſe poteſt, cũ firmus & immobilis conſiſtat. Iam vero illud: *vt ſe Vincentium ſcribere auſus non fuerit, ſed vendere quaſi neſcio quem peregrinum*, ineptum prorſus eſt cùm Vincentius abijciendi ſe ſe, ac deſpiciendi & occultandi cauſa fecerit, ne popularem auram ex pulcherrimi operis compoſitione captaret: itaque ſe peregrinum appellare maluit, & in hunc ſenſum interpretantur iuſti auctores, quos imitari debuit Lupus, ſed ille maluit vti detorſerat mentem interpreſtandi Epiſtolam, ita Vincentij animum detorquere. Non vendit ſe peregrinum, ſed ſub eo nomine ſe occultat Vincentius, ne ſubreperet illa gloriola, quam fugiebat. Peregrinus dici voluit, quia non dum erat monaſterio Lerinenſi incluſus, & incognitus inſtar peregrini verſabatur. Niſi forte Deus prouidit vt illud ſibi nomen imponeret propter pretium operis, quod, quia rarum, peregrinum appellari oportebat, vel quia

cùm illud ſcripſit peregrinabatur à ſenſibus ,& in Superis cogitando habitabat. Vnde quia videbatur diuinum eſſe opus non humanum , peregrinum in terris videbatur . Diſcat P. Lupi meliùs & ſanctiùs de viro ſanctiſſimo exiſtimare. Sed ille de Vincentio vti Semipelagiano cogitabat, immemor ſanctum eſſe,& in Eccleſiæ faſtos relatum. Subiungit.

*Hac interim arte non ſolum ſuos ſolari, & optimam Galliæ plebem deludere, ſed & Sixtum tertium Pontificem de Pelagiani dogmatis amicitia olim ſuſpectum tentauit ad Anteceſſoris ſui decretum ita interpretandum circunſcribere*. Miror tanto viro iſta excidiſſe. *Turbato* , vt vtar phraſi eiuſdem Lupi in ceſſentis S.Baſilium,*oculo hac* ſcribebat Lupus,adeo ne verba quidem conſtant. Quorſum enim illud *de Pelagiani dogmatis amicitia* cum amicitia perſonarum ſit ; non rerum·mallem de *Pelagianorum amicitia olim ſuſpectum* . Sed hoc leuius eſt. Illud grauius. *Optimam Galliæ plebem deludere*. Hoccine ferendum, vt Vincentius qui inſtituebat Catholicos, erudiebat fideles, Hæreticos confutabat; veritatis fidei cauſam agebat *deludere plebem* Gallicam dicatur? abſurdum hoc, & à decoro alienum . Quid cum plebe Vincentio Lirinenſi? Cum presbyteris, & Epiſcopis res erat, plebs nec multum curabat, nec ſatis intelligebat quæſtionem, nec Commonitorium illud plebeijs auribus congruebat. Perſequor; *Sed & Sixtum tertium Pontificem olim ſuſpectum*. Non debuit ſuſpectum dicere: nec enim Sixtus vnquam ſuſpectus fuit Semipelagianiſmi, vtpotè bene Catholicus, ſed à Pelagianis in ſuſpicionem vocatus, qui fraude & aſtu vſi eam illi calumniam impoſuerunt , vti mos erat illius ſectæ. Vafri enim homines & aſtuti, vt hæreſim ſuam occultarent, imo & condecorarent eam alijs viris ſan-

ctiſſi-

ctissimis attribuebant. Finxerunt itaque Sixtum antequam esset Pontifex Pelagianis assentiri, eumque suspectum fraudulenter fecerunt: vnde non sequitur eum suspectum fuisse, sed falsò hanc ei suspicionem affictam fuisse. Summa igitur iniuria Lupus eum suspectum dicit. Affero testimonium eruditi viri Henrici Spondani, in quo etiam loquitur Baronius, eo que dictum Leupi refello: anno 418. n. 3. *Porro qui primus aduersus Pelagianos Hæreticos palam inclamauit anathema fuit Sixtus Romanus Presbyter qui postea Pontifex Cœlestino successit quod Sanctus Augustinus in Epistola ad ipsum reddita ea de causa factum ab eo docet, vt dilueret calumniam, quam ijdem more suo mentientes sparsissent quod ille ipsis faueret.* Nota *mentientes*. Igitur male Lupus *suspectum*, dixit, non enim erat suspectus, sed Catholicus qui autem eum suspectum reddebant mentiebantur. Corrigendum est hoc in Lupo, qui nihil distinguens inter suspectum, & falsò suspectum redditum, confirmauit eum Pelagianis, vel indulsisse, vel fauisse. Oportebat discernere suspicionem affictam à vera suspicione nam si satis esset afficta suspicio ad efficiendum suspectum etiam Zosimus, & Clerus cum eo Romànus, imo & ipse Augustinus Pelagianis conniuerent, vel consentirent. Audiat Lupus eundem auctorem in eodem loco. *Ad calumnias concinnandas stylum exacuerunt, præstititque id in primis Iulianus Episcopus Capuanus, qui inter alia, de quibus dicetur anno sequenti cum Zosimum, Romanumque Clerum, tum Augustinum prauaricationis accusare non erubuit, quasi ipsi olim, cum Pelagio sensissent, ac postea sententiam mutassent: cuius impudentiam egregie Sanctus Augustinus retudit*: Possem equidem, me auctore, hoc idem probare productis Augustini, & Iuliani locis, sed malui alieno ore, vt

maior esset auctoritas, Lupi dictum refutare. Deleat illam particulam *Sixtum Pontificem de Pelagiani dogmatis inimicitia olim suspectum*; scribat olim falso à Pelagianis suspectum redditum, nequis putet tantum virum cum Pelagianis aliquando sensisse. Manet adhuc hac illa particula *tentauit ad Antecessoris sui decretum ita interpretandum circumscribere*. Quo nihil dici potuit absurdius. Quomodo enim potuit tentare Vincentius reducere decretum Sixti admentem Antecessoris sui Cælestini. Si enim Sixtus priusquam Cælestinus allegatur à Vincentio, & Cælestinus posterius, vti patet in textu Vincentij, quomodo poterat reduci ad sensum Cælestini? imo Cælestinus erat reducendus ad sensum Sixti: Verùm opponet Lupus se non vti uerbo *reducere* sed *circumscribere*. Respondeo me sensum & mentem Lupi non uerbum attendere. Sensus & mens illius est Sixtum eodem modo intelligendum, ac Cælestinum: hoc autem fieri non potest, quia Cælestinus loquebatur de hæresi Semipelagiana, Sixtus autem de Nestoriana, & uterque Pontifex nouitatis eam condemnabat; si ergo Vincentius circunscripsit sensum Sixti intra sensum Cælestini, dixit eodem sensu locutum fuisse Sixtum de hæresi Nestoriana, ac Cælestinum de Semipelagiana; unde sequitur Vincentium contra se scripsisse: nam uoluit nouitatem Cælestini attribuere doctrinæ Augustinianæ; & eo nomine illam damnare probando Semipelagianam nomine uetustatis, & similiter Sixtum nouitatem attribuere sententiæ Catholicorum & uetustatem errori Nestoriano, quasi Sixtus approbaret uetustatem in Nestorio, & nouitatem in Cyrillo, & Catholicis. Hæc est manifesta consecutio. Lupus uult circumscribere sensum Sixti ad interpretationem

quam adhibet sensui Cælestini. Cælestini sensus interprete Vincentio approbat uetustatem Semipelagianum, & improbat nouitatem Augustinianam, igitur consequenter iudicat Sixtum approbare uetustatem Nestorianam, & improbare nouitatem Cyrillianam. En quo deuenit ratiotinatio P. Lupi dum circunscribit uerba Sixti ad interpretationem uerborum Cælestini. Absurdum est enim credere Vincentium Lirinensem hostem acerrimum hæresis Nestorianæ uelle illam approbare interpretando uerba Sixti sicuti iam probauerat hæresim Semipelagianam detorquendo verba Cælestini. Nimis festinanter scripsit Lupus, & studio celeritatis corrupit interpretationem germanam vtriusque tùm Cælestini, tum Sixti. Vera interpretatio est ea quam nos attulimus, & Vincentius affert: videlicet vtrunque Pontificem sincerè iudicasse vtranque hæresim, & Nestorianam, & Semipelagianam non esse vetustam, sed nouam, & nouitatis nomine condemnandam. Supersunt illa verba.

*Et hinc tria posteriora sui contra Collatorem libri capita non aduersus Collatorem, sed aduersus hunc Peregrinum omnino scripsit S. Prosper*. Hæc rem veritatis non continent, cum Prosper satis declaret ipso titulo se scribere contra Cassianum, quem Collatorem appellat, alioqui ineptè sustinuit titulum libri vsque ad finem; si enim tribus illis capitibus mutauit personam, mutaret item debuit illius nomen, & exprimere. *Peregrinum* contra quem scribere conabatur. Præterea illa tria capita aliena sunt ab instituto Vincentij Lirinensis, sed ad eundem Cassianum pertinent. Legat cui vacat, & me videbit. Indicium autem

quod affert Lupus ex verbis ſequentibus Proſperi *Confidimus Domini protectione præſtandum vt quod operatus eſt in Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, Cæleſtino operetur & in Sixto, vt ſicut ille Lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos*: fallit in eo quòd putat Lupum occultum eſſe Vincentium, cum hi Lupi fuerint alij Semipelagiani, qui Caſſiano duce Eccleſiam diuexabant, aduerſus quem Caſſianum anno 2. Sixti Proſper ſcripſit, quemadmodum obſeruat Baronius, & Spondanus ad annum 433. quo tempore Peregrinus adhuc Commonitorium ſuum non ſcripſerat, vti conſtat ex eodem Commonitorio, & fatetur P. Noris lib. 2. cap. 1. & lib. 2. cap. 10. Caſsianus quippe ſcripſit Anno 428. ſuas Collationes: eaſque penitus abſoluit anno 429. Proſper vero contra Caſsianum Collatorem ſcribens opus confecit Anno 433. Vincentius autem Anno vno poſt ſuum Commonitorium ſcripſit ideſt Anno 434. Quare Lupus in hoc Peregrino penitus peregrinatur, & volens cauſam Noris ſodalis ſui defendere prorſus præuaricatur: Tanta vis veritatis eſt, vt qui eam impugnare velit incaſſum laboret. Occulti illi Lupi ſunt Caſsianus, Fauſtus, imo & Iulianus, Capuanus Epiſcopus de quo S. Proſper in Chronico hæc ait: *Hac tempeſtate Iulianus Atellanenſis iactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpem præferens, molitus in communionem Eccleſiæ irrepere; ſed iis inſidijs Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter*

*occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit; & ita omnes Catholicos defectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim gladius apostolicus denunciasset.*



# COMMENTATIO SECVNDA.

## De Ordinatione S. Augustini Episcopi in eadem Ecclesia Hipponensi viuo Valerio Episcopo præter Nicenum Canonem inculpata.

De probabilitate sententiæ eiusdem S. Augustini negantis Concilium Sardicense quod vulgo Generale dicitur Catholicorum, & affirmantis Hæreticorum fuisse.

De statu quæstionis, de Appellationibus iuxtà Canones Niceni, & Sardicensis Concilij, in quo statuitur Canones qui habentur Sardicenses, Nicenos prorsus fuisse, non Sardicenses.

De consensione Ecclesiæ Africanæ tempore Augustini, & Patrum Sexti Concilij Africani super Iure Appellandi cum Ecclesia Romana sublata prorsus omni dissensione, quam Heterodoxi somniarunt, quibus nonnulli Orthodoxi inconsideratè conniuent.

*Scopus est honor Augustini vindicatus.*

PROE-

# PROOEMIVM



Agna erat huius libri P. Christiani Lupi apud omnes doctos expectatio, & quidem iure propter famam viri, & propter nobilitatem argumenti: me quoque in spem erexerat fruendi eruditione recondita, solidaque doctrina, cuius quidem specimen aliàs auctor præclarum dederat. Itaque vix dum in lucem exierat, cùm ego illum mihi comparaui; & auidissimè in manus sumptum legere cæpi animo deuorandi totum, ad idquè & instituti similitudo, & vetus cum auctore familiaritas incitabat: auxerat studium amor in Augustinum, quem sperabam ab erudito, & pio filio vehementer commendatum iri. Verum vt incidi in eius prologum, hæsi in limine, & resiliui, quòd comperi ab eo Augustinum vitupe-

rari, erroriſque, & imperitiæ, & ignorantiæ Canorum & Niceni, & Sardicenſis Concilij inſimulari: traducitur quippe in eo Auguſtinus tanquam ignarus Canonum, & fluxus, ac infirmus Donatiſtarum impugnator, & cum Africanis Sexti Cōcilij Carthaginenſis Patribus detractor Apoſtolicæ ſedis auctoritatis, & auctor *miſerabilis ſuper* iure appellandi ad Romanam ſedem *contentionis* ſtatuitur, & hoc ipſum in fronte operis, quod omnium oculos cùm offenderet, tum auerteret. Tanti eſt in utranque partem momenti aditus operum, quos propterea grauiſſimi vir iudicij Marcus Tullius illuſtres, & nitidos eſſe volebat. Refrixit igitur ardor legendi: turbari cæpi, & dolere, quòd tam male ab auctore acciperetur Auguſtinus, præſertim à filio, à quo non erat timendum conuicium; ſed ſperandum præconium: nec mihi potui moderari, quin ſuſcepto ſtudio ab illis impoſturis innocentem liberarem, & calumnias ei impoſitas abolerem. Notus eſt meus in Auguſti-

num amor, quem mihi à puero, & colendum, & obseruandum, & vindicandum proposui: cuius tot sunt testimonia quot sunt in meis operibus argumenta. Stimulauit currentem reliqua pars prologi, in qua punguntur Patres, carpuntur doctores Scholastici; sugillantur Euangelici concionatores quasi neglexerint Canones, & doctrinam corruperint, & ansam dederint Heterodoxis sanam, & Catholicam doctrinam calumniandi. Hæc omnia animum meum exulcerarunt, & ad refellendas huiusmodi calumnias à veritate alienas impulerunt. Ecquis enim credat Patres sanctissimos contempsisse Canones, & ex eorum ignorantia lapsos esse? Doctores Scholasticos eosdem despexisse & minus reuerenter tractasse? An vero S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hilarius, & alij præclaræ sanctitatis viri contra Canones quidquam deliquerint? Diuus ne Thomas Doctor Angelicus, S. Bonauentura Seraphicus, Ioannes Duns Scotus Subti-

lis Canones neglexerunt & repudiarunt?
Num Alexander Alensis, Albertus Magnus, Ægidius Columna, Baconus, Gregorius Canonum ignorantia à veritate deuiarunt? Scripserunt ne quidquam aduersus Canones Melchior Canus, Dominicus Banez, Didacus Aluares, Feuardentius, Alphonsus Castrius, Franciscus Lychetus, Caietanus, Valentia, Suarez, Vasquez & alij grauissimi Theologi? persuasum mihi est P. Lupum aut eos non vidisse, aut alias res agere cum legisset. Equidem non verebor dicere plures esse lapsus in hisce notis P. Lupi ad Canones quàm sint in scriptis Scholasticorum hominum, idque testimonio vel amicissimi sui P. Henrici Noris testimonio probem: qui in erudito illo suo opere de Historia Pelagiana plurimos lapsus P. Lupi adducit, & maculas inde contractas detegit; ad quem lectores remitto. Ego vnum tantũ afferã, quo nullũ tu grauiorem in Scholasticis doctoribus inuenias, si illi tamen, quod inficior, in Canonibus errarunt.

Capite primo, Tom. 1. ſuper Canones Concilij Conſtantinopolitani ſic ſcribit: *Quæſtio eſt an à ſolo Theodoſio Auguſto, an etiam à Damaſo Pontifice fuerit conuocata Synodus?* De quo cùm communis Catholicorum ſententia ſit non à ſolo Theodoſio, ſed à Damaſo etiam Papa conuocatam fuiſse, idque Lupi eo in loco non neget, contrà tamen opinatur. *Reſpondeo*, inquit, *tamen à ſolo Theodoſio congregatam*, & addit: *Nulla enim legatio, nulla Epiſtola Apoſtolica adſuit ſine quibus fieri nequit totius Eccleſiæ Synodus generalis*: de qua ſententia audiamus Seuerinum Binium in ſuis notis ad iſtud Concilium vbi ſic; *Nemo igitur niſi pertinax Hæreticus aſſeueret hoc Concilium ab Imperatore pientiſſimo, & Sanctarum Conſtitutionum abſeruantiſſimo indictum fuiſſe. Quod ait Theodoretus lib. 5. Hiſt. c. 9. Conſtantinopolitanum primum Theodoſium ſeniorem coegiſse, & indixiſse, explicandum eſt illud præuio literarum Apoſtolicarum mandato contigiſſe. Vide Baron. anno prædicto nu. 19. & 20. Bellar. lib. 5. de Conc. cap. 13.* Hæc Binius. Ego in gratiam Theologorum obſeruo contradictionem in dictis Lupi.

Ait enim fuisse conuocatam Synodum illam generalem à solo Theodosio, eamque fatetur esse legitimam ; & subiungit : *nulla enim legatio, nulla Epistola Apostolica adfuit sine quibus fieri nequit totius Ecclesiæ Synodus generalis*: quæ duo sibi contradicunt ; nam quomodo potuit esse Synodus generalis illa Constantinopolitana si à solo Theodosio *sine vlla legatione sine vlla Epistola Apostolica conuocata fuit* ? Igitur si verum est sine istis fieri non posse Synodum generalem sequitur Synodum Constantinopolitanam à solo Theodosio conuocatum non fuisse generalem. Certe illa sine freno libertas quam Lupus Doctoribus Scholasticis affingit non tam eos in transuersum egit, vti Lupum sua fidentia ; turpius est enim lapsus, quàm illi labi potuerunt. Verum illos Patres, & hos Theologos alij vindicabunt. Ego mihi liberandum sumo Augustinum ; hæ meæ partes sunt ; refellam calumnias P. Lupi ; monstrabo ei Augustinum erroris expertem esse, & nihil contra Nicenos, & Sardicenses Canones deliquisse, & illam no-

tam ignorantiæ delebo. Palam faciam nec ipsum, nec Patres Africanos quidquam iuri appellandi detraxisse, nec eius Concilij Sexti miserabilem contentionem aduersus Pontificem Romanum, sed mirabilem consensionem fuisse; imo in eo quod existimat Lupus omnino aberrasse Augustinum, nimirũ inficiando Sardicense Catholicorum Concilium, probabiliter, & inculpatè sensisse. Vno verbo vbi sit Augustinus, ibi & veritatem, & Sedis Apostolicæ auctoritatem consistere demonstrabo. Iusta est causa: pugno pro Augustino, aduersus hominem Augustinianum professione, & instituto; & persuasurum me spero legentibus neminem me animo, doctrina, studio Augustino esse propiorem. Ac vt legentibus instituti mei rationem probem; Prologum Patris Lupi oculis exhibebo, qui huiusmodi est.

# PROLOGVS
## P. CHRISTIANI LVPI
### In 1. p. Canonum Synodorum.
## AD LECTOREM.



*Vanti sit antiquorum Canonum peritia, ac rectus intellectus, docet Sanctus Augustinus, qui Episcopo suo Valerio aduersus Octauum Nicænum Canonem superordinatus Co. Episcopus, verbo postmodùm & scripto errorem improbauit, Nec quod sibi factum esse doluit alijs fieri voluit. Vnde etiam sategit, vt Concilijs statueretur Episcoporum, ab Ordinatoribus deberi Ordinandis vel Ordinatis omnium statuta Sacerdotum in notitiam esse deferenda. Dum item Episcopus Sardicensem Synodum à Philippopolitano Conuenticulo distinguere nesciit, nesciit, vnum è palmaribus Donatistarum pro suo schismate fundamentis ad fundum exhaurire. Ex Sardicensium Canonum ignorantia non solus S. Augustinus, sed & cum plena Africana Synodo Carthaginensium Archiepiscopus Aurelius incurrit quinti Nicæni deuium intellectum, longamque illam, & miserabilem de Romanis appellationibus, atque Euocationibus contentionem, sub Zosimo Pontifice captam, & prius sub Bonifacio secundo extinctam. Alios quoque grauissimos Ecclesiæ Patres ex data hisce rebus non plena*

opera

*opera nouimus non parum lapsos. Quid dicam de Doctoribus Scholasticis? Palam lucet negligi ab illis antiquos Canones, & raros hinc inde ipsorum disputationibus insertos non pro digno & vero tractari. Græcorum Schismaticorum capitalis in nos Latinos calumnia est Canonum præuaricatio, ex qua inflictum per istos ipsos Canones præuaricatoribus anathema incurrerimus lapsi extra orthodoxam communionem, veraque Christianitatis forma sit ad ipsos solos contracta. Est falsa ac stulta calumnia; reuera tamen ex quo antiquorum Canonum, & intelligendorum, & obseruandorum, cura apud nos cæpit tepescere, irrepere in Scholas cæpit subtiliter disputandi, & probabiliter opinandi licentiosa cum prurigine & sine fræno libertas.*

## Animaduersio Auctoris.

Animaduertet Lector acerbitatē styli, aculeos dictionis, punctiones verborū. Agit Lupū Christianus Lupus, cùm agnū Christianū agere debuisset. Verum dum conuiciatur alijs reprehensionem incurrit, & dum errores alijs impingit, ipse incidit in errorem. Quorsus enim abit dum ita scribit *miserabilem illam de appellationibus contentionem sub Zosimo Pontifice captam, & prius sub Bonifacio secundo extinctam?* Nota ordinem præposterum tum personarum, tum temporis: quomodo cæpta, & prius extincta, igitur prius extincta, quàm cæpta. Deinde Bonifacius secundus fuit multo post Zosimum, qui prior fuit Bonifacio primo qui successit Zosimo. Præterea illa contentio non fuit extincta sub Bonifacio secundo, quo Pontifice nihil ea de re actitatum. Insuper Bonifacius secundus annuus Pontifex fuit, & contra Canones successorem sibi Vigilium Diaconum elegit ad id Synodo coacta, quam & si postea resciderit mutata in melius sententia, acerba morte præreptus peruersi iudicij pennas dedit, auctore Baronio, & reliquis Ecclesiasticæ Historiæ scriptoribus. Aberrauit

igitur ab ostio Lupus & in quo limine errores impegit Augustino ipse inconsulte ac temere lapsus est Diuino numine ab ipso pęnas violati parentis expetente.

## Propositio argumenti, & Scopus Auctoris.

Tria sunt, quæ doctissimus P. Lupus attribuit errata imperitiæ Canonum. Primum inauguratio Augustini præpostera, & contra Canonem 8. Nicenum, cuius eundem postea Augustinum pęnituerit. Secundum omissio vnius è palmarijs aduersus Donatistarum Sectam argumentis, quæ reprehensione carere non potest. Tertium deuiatio à recto sensu Concilij Niceni, & ex ea orta miserabilis de appellationibus contentio. Hæc vt vera essent, non debuissent Augustini imperitiæ, & ignorantiæ tribui, sed excusari, saltem accusare mollius, non autem iterato verbo *Nesciit*, quod ignominiosum est, exaggerari; cum præsertim ignominia in Vniuersam Africanam Synodum redundaret, Meæ partes erunt examinare singula, & notam omnem ignominiæ abolere,

# Caput I.

*Consecratio Augustini viuente Episcopo suo Valerio an fuerit contra Canonem 8. Concilij Niceni, & vtrum in ea error interuenerit.*

AFferamus primum historiam Consecrationis & proponamus factum, deinde iure ne an secus, contra, vel præter Concilium fuerit expendemus. Igitur Augustinus de ea sic Epist. ad Paulinum, & Therasiam 34. *Vestra charitas oportet attendat, quod Beatissimus Pater Valerius, qui nos vobiscum quantum salutet, quantum sitiat, audietis ex Fratribus, nec presbyterum me esse suum passus est, nisi maiorem mihi Coepiscopatus sarcinam imponeret. Quod quidem, quia tanta eius charitate, tantoque populi studio Dominum id velle credidi, nonnullis iam exemplis præcedentibus, quibus mihi omnis excusatio claudebatur vehementer timui excusare*. Eandem rem narrat latiùs Possidius in Vita Augustini c. 8. *Venerabilis Senex* [ Valerius ] *sciens se & corpore, & ætate infirmissimum egit secretis litteris apud Primatem Episcoporum Carthaginiensem allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrans, vt Hipponensi Ecclesiæ Ordinaretur Episcopus, qui suæ Cathedræ non tam succederet, sed consicerdos accederet Augustinus, & quæ optauit, & rogauit, rescripto impetrauit. Post quam petitionem ad visitandum adueniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo, & Valerius Antistes Episcopis, qui fortè tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponensibus, & vniuersæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem omnibusque audientibus, & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti desiderio clamantibus Episcopatum suscipere contra mo-*

rem Ecclesiæ suo viuente Episcopo Presbyter recusabat. Dumque illi fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis, & Africanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, & Episcopatus curam, & Maioris loci ordinationem suscepit. Quod in se postea fieri non debuisse, vt viuo suo Episcopo ordinaretur, & dixit, & scripsit propter Concilij Vniuersalis vetitum, quod iam ordinatus didicit, nec quod sibi factum esse doluit, alijs fieri voluit. Vnde etiam satagit vt in Concilijs constitueretur Episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis, vel ordinatis omnium statuta Sacerdotum in notitiam deferenda.

Producamus Canonem Concilij Niceni. Is est octauus. *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Nouatianis, placuit Sancto Concilio, vt ordinentur, & sic maneant in Clero. Ante omnia autem hanc habeant ab ipsis confessionem, quam per scripturam exigi oportet, vt fateantur se cum omni consensu Ecclesiæ Catholicæ statuta obseruaturos, idest communicaturos se & his, qui fortè secundas nuptias experti sunt, vel his qui persecutionis tempore lapsi sunt, quibus tamen lapsis pœnitentiæ modus, & tempus adscriptum est, vt in omnibus sequantur ea, quæ in Ecclesia Catholica obseruantur, & sicubi ijdem ipsi fuerint inuenti, siue in Vicis, siue in Vrbibus Clerici ordinati à Catholicis, sic etiam in Clero persistant, vnusquisque tamen in suo ordine. Si verò Episcopus, vel Presbyter Ecclesiæ Catholicæ fuerit ad quem aliqui ex his accedunt, certum est quod Episcopus quidem Catholicus suam habeat dignitatem. Similiter autem Presbyteri & Diaconi habeant. Hi verò, qui de istis veniunt, si forte Episcopus fuerit, habeat Sacerdotis dignitatem, nisi fortè placeat Catholico Episcopo concedere ei etiam Episcopalis nomi-*

*nis honorem. Si vero non placuerit, inueniat ei locum, vt sit in Parochia Chorepiscopus, aut in Choro Presbyter, vt in Ciuitate vna non videantur esse duo Episcopi, & ille omnino in Clero permanere videatur.* Hæc nouissima particula rem continet, quam altera versio magis declarat sic. *Prouidebit ei aut Chorepiscopatus, aut Presbyterij locum, vt in Clero prorsus esse videatur, ne in vna Ciuitate duo Episcopi probentur existere.*

Constat ex adductis de præcepto Concilij vetantis, ne duo essent simul in vna Ciuitate, siue Diœcesi, & de imperitia Augustini ignorantis præceptum, quod si nosset, consecrari recusaret, quemadmodum postea fecit, cùm nouit: & manet iusta de vtroque P. Lupi sententia.

Primùm, dico: Felix imperitia, quæ talem meruit habere Coadiutorem: ac eò felicior, quò innocentior: nec enim culpæ argui potest, quæ fuit inscitia, siue mera ignorantia, quam appellant Theologi, inuincibilem. Nec imputari hæc Augustino, potuit iuueni, cuius non erat scire, sed parere. Partes eæ erant Valerij, & Megalij & cæterorum eum consecrare cupientium, quibus nisi Augustinus pareret, præsertim vrgente, & plaudente populo peccaret, idque ille significauit, cum dixit in Epist. proximè ad Paulinum relata. *Vehementer timui excusare.* Obediendum erat subdito, non docendum. At interuenit imperitia Canonis; & per imperitiam fuit ordinatus. Nego posse dici imperitiam, quæ omnino vacabat culpa, & reprehensione carebat. Nam ille Canon Concilij Niceni nō erat

Dogmaticus, sed Ecclesiasticus, & ad mores, non ad doctrinam pertinebat, ac proinde non tenebantur ad illum, vel noscendum, vel accipiendum Prouinciæ illæ, quæ suis iam legibus, & ritibus vtebantur ab initio Ecclesiæ receptis, & consuetudine roboratis, quales erant Africanæ. Patet exemplo Concilij Tridentini: cuius cùm omnes Canones de fide & qui propriè sunt Dogmatici in Vniuersa Ecclesia recepti fuerint; nonnulli ex Ecclesiasticis, & ad reformationem pertinentes in certis quibusdam Prouincijs, in quibus ego illac transiens fui non fuerunt admissi. Imo addo; & si ille Canon esset vbique receptus, etiam in partibus Africanis, potuisse tunc non recipi, ac secus quàm ille præcipiebat fieri, videlicet per Epijchiam propter necessitatem iustam, & rationabilem, quam Episcopus Valerius exposuit, & Possidius narrando repræsentauit. Recta illa esset interpretatio Legis, qua intercedente siluisset. Visum fuit olim alteri Valerio Cæsaraugustano Episcopo è re Christiana prædicandi officium, quòd impeditioris erat linguæ iuueni Vincentio Martyri imponere. Visum etiam fuit postea huic Valerio Episcopo Hipponensi, quòd ætate grauis, & infirmitate grauatus erat, nec munia Episcopatus rectè, ac ritè obire poterat, Augustinum sibi substituere. Vtrique sane iure ob publicam necessitatem, quæ quamuis maior esset in primo Valerio, ac iustior, non tamen propterea non erat magna, & iusta in secundo Valerio. Atque hæc sit prima responsio. Altera melior est, opinor, & facilior. Canon Concilij non vetuit in omni euentu duos Episcopos eligi, ac in eadem Ciuitate existere: ac proinde licuit per eum Augustinum consecrari. Expendamus verba Canonis, &

eruamus-

eruamus mentem eiusdem. Hæc sunt, quæ rem continent: ne in vna Ciuitate duo Episcopi videantur existere. Vetat igitur ne sint duo distincti, diuersique, inter quos appareat oppositio: qua vnitas tollatur, aut tolli videatur; Mens est, ne Altare contra Altare erigatur, & Caput contra Caput collocetur. At secus res habuit in electione, & consecratione Augustini, nam ille substituebatur Valerio Coadiutor, & quasi Vicarius cum eadem potestate, & iurisdictione, qualis est in Vicario, qui vna, & eadem cum suo Episcopo persona habetur, non diuersa, nec opposita, sed cum eadem, & subordinata potestate. Ex quo nihil contrarium, nihil dissonum in Ecclesia existebat. Quod autem hi Vicarij Episcopi etiam ordinati essent, nihil obstabat quo minus possent eo fungi officio: nam ordo non opponitur ordini, sed tantum iurisdictio iurisdictioni: quemadmodum apparet in exemplo Chorepiscoporum, quos multi & graues Auctores putant Episcopos fuisse, nec idcirco tamen remouebantur ab administratione Ecclesiarum Episcopalium, & si verò plerique negent eos vnquam Episcopos fuisse, in quibus ego esse malui tom. de Clauibus Petri lib. 1. de dignit. & potest. Papæ c. 3. Tamen id affirmant Bellarminus de Cler. lib. 1. c. 17. & lib. de ordin. c. 2. Petrus Bollo œconom; clas. 3. Laurent. Beierlench verb. Chorepis. & alij, quos eruditos Viros Vasquez appellat, disp. 238. c. 7. & recens Lauræa in Epist. verb. Corepis. & probatur ex Canone 10. Concilij Antioch., vbi sic dicitur. *Manus impositionem ab Episcopis susceperunt*. Quod quid est, nisi ordinari Episcopos? & manifestius, *vt Episcopi sint consecrati*. Idem confirmatur testimonio Epist. 5. Damasi, vbi affirmat eos Chorepiscopos à

plu-

Pluribus Episcopis manus impositionem accepisse. Hæc autem est germana nota consecrationis Episcopalis. Suadetur hæc expositio vehementius exemplo Ecclesiæ Romanæ, & quidem ab ipso Petro desumpto: qui Linum, & Cletum creatos Episcopos Romanos Coadiutores habuit: & quidem de Lino id tradit Nicephorus Callistus lib. 2. c. 33. ita *dum adhuc viueret Petrus, dedit Lino Claues Ecclesiæ Romanæ.* Quod omnino docuerat Damasus, siue Auctor Vitarum Pontificum, quibus assentitur Baronius an Christi 68. & Seuerinus Binius in notis ad vitam, & Epist. Ioannis III. & Margarinus de la Bigne in 3. tom. Bibliot. Patr. quæ sententia antiquiorem adhuc Auctorem habet Iræneum lib. 3. c. 3. vbi ait. *Ab Apostolis Petro, & Paulo fuisse factum Episcopum.* Idem dicendum de Cleto Auctoribus iisdem penè omnibus, ac Bellarmino, & Ciacconio. Nec de Clemente dubitandum quin eodem modo sit ordinatus Episcopus, & assumptus in socium, & Coadiutorem Pontificatus. Sunt vero duo insignes loci rem continentes. Vnus lib. 6. Constit. Apost. c. 8. vbi sic Petrus loquens inducitur: *Mecum sunt Barnabas, & Clemens Romanus Episcopus.* Alter Tertulliani lib. 4. de præscript. c. 32. *Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum collocatum refert, sic Romanorum, Clementem.* Quæ communis sententia est, nimirum Clementem uiuo Petro Episcopatum gesisse. Ita locum Tertulliani intellexit Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. c. 6. Baronius an. Christi 44. & 575. Spondanus ibi. Binius in notis ad uitam Clementis. Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 241. c. 1. n. 8. Augustinus de Bellis in suo Apologetico. Leo Allatius lib. 1. de consen. Eccle. c. 5. & apud eum Inkofer. c. 7. Pamelius ad locum Tertulliani, qui exi-

ſtimat omnes hos tres, Linum, Cletum, Clementem Petri eo viuente Adiutores fuiſſe. Quod ſi Eccleſia Romana admiſit hos Epiſcopos conſecratos coadiutores, & futuros ſucceſſores, quales hi tres fuerunt, argumentum inde inuictum ſumitur non id vetuiſſe Concilium Nicænum eo modo quo illa permiſit, ideſt cum iuriſdictione ſubordinata coadiutoris ad Epiſcopum inſtar Vicarij, ſed alio modo, quem diximus, diuiſa inter vtrunque pari iuriſdictione, quaſi ex aduerſo altera alteri reſpondente, vt altare contra altare erigi videretur. Qua ratione fieri non poterat, vt in Eccleſia Romana, quæ ſummè vna eſt, plures Epiſcopi præſiderent, cùm niſi vnus eſſe non poſſet, ac eo nos nomine Paulum excluſimus, cùm illam celebrem quæſtionem de Pontificatu Pauli cum Petro pertractauimus lib. 1. de clau. Petri. Diatriba vnica per tria capita, quæ mirum eſt quantum Romanis placuerit, ac idcirco eam tantopere doctus vir, & eximius Theologus Hiſpanus Dominicanus P. Ferre in tractatu de Fide commendat.

Adijcio hic quæ in eo tomo edito, & probato Romæ obſeruaui his verbis. *In Gallia, quæ religioſiſſima eſt Sacræ vetuſtatis cuſtos, ita fieri ſolet.* Quem morem Africana Eccleſia tenuit, iiſque exemplis commoti Epiſcopi Megalius, & Valerius cum reliquis Auguſtinum conſecrarunt, & coadiutorem ſuo Epiſcopo dederunt: Quin is eruditiſſimus auctor qui ſcribit quæſtionem quodlibet. de Origine Auguſtinenſium vult Aurelium, Genethlio cui ſucceſſit coadiutorem, & Epiſcopum datum fuiſſe. Nec in Gallia & in Africa ſolùm, ſed etiam in Italia ſolenne illud tenuiſſe multis & illuſtribus exemplis opus Ferdinandi Vguelli *Italia Sacra decla-*

rat. Verum quidem est hos Episcopos quasi Vicarios siue Annulares, vti vulgò dicuntur, habere titulos in transmarinis Ecclesijs, non in eadem ciuitate vbi vices exercent, ne duo in vna ciuitate esse videantur; sed hoc nihil officit causæ, quæ versatur in iurisdictione in eadem Diœcesi. imo durius videtur Episcopum alieni tituli exercere iurisdictionem in eodem Episcopatu cum alio; quid enim valet titulus sine re? Ego verò addo interdum permitti, vt in eadem vrbe sint duo superiores cum iurisdictione æquali, & diuersa, auulsa vna parte ab alia. Exemplum esto in Portu gallia Conimbricæ, quæ mea patria est Regia olim Ciuitate, vbi est Academia, siue Vniuersitas celeberrima. In hac igitur Episcopus iurisdictionem ita exercet, vt tamen vna Parochia exempta sit, & sub potestate Prioris Monasterij S. Crucis, quod est Canonicorum Regularium S. Augustini constituta. Hoc est illud felix monasterium quod ab Rege Alphonso Henricio, Portugalliæ Primo, illius temporis Heroe præclarissimo, magnis sumptibus ædificatum, & reditibus locupletatum fuit, & summa semper religionis laude floruit: ex quo S. Antonius Lusitanus [Patauinum vulgò dicunt] inflammatus martyrij desiderio exiuit, & ad nostrum Minorum Ordinem transiuit, cùm inferri in illud Reliquias quinque Martyrum Marrochiorum, quæ ibi diligentissimè seruantur & religiosissimè coluntur inspexisset. Nec verò tam insolens fuit exemplum duorum in vna vrbe Episcoporum quàm putat uulgus, cùm Antiochiæ in Sede Patriarchali simul sederint Paulinus, & Meletius etiam post Nicenum Concilium, & ambo fuerint diu tolerati fauentibus Orientalibus Meletio, Occidentalibus Paulino.

Ex his apparet non esse vituperandam illam electionem Augustini, nec aut illum, & Valerium, & Megalium ignorantiæ appellandos, cum nihil in ea electione dignum reprehensione admissum; imo ne secutum quidem fuerit: ac proinde factum excusandum, non exprobrandum. Vnum obstat: videlicet Augustinum ipsum fateri ignorasse Canonem, & improbasse factum, & secus ac nos doctrinam accepisse. Cui respondeo Augustinum nimis religiosum fuisse, & quòd delicatæ conscientiæ erat vmbram culpæ timuisse, ac ne abusus aliquis per illud exemplum obreperet prudenter cauisse. Quemadmodum egit in suis libris Retractationum, improbando multa quæ alij sanè probarent, quæ ipse cum lego mirari soleo tanto viro ea displicere potuisse. Verùm summa religio faciebat, vt culpam ibi esse putaret, vbi culpa non erat. Nouerat ille nihil peccatum nec à se, nec à suis ordinatoribus propter causas à nobis commemoratas: verùm non quieuit, quòd videret rem esse periculosam, & obnoxiam seditionibus, si facile admitteretur: cùm præsertim posteà pro tempore, & officio suo rescisset vetitum illud fuisse à Concilio Niceno, quod antea non cognouerat, quoniam ad se non pertinebat, & iuuenem, & subditum Episcopi. Vtcunque sit non debuit Augustinus vllo modo insimulari, aut imperitiæ, aut negligentiæ, sed omnino vtriusque notæ eximi, quemadmodum, vti proxime monui, nec quod sua opera recognouit, & retractauit propterea in ijs quæ correxit culpandus, cum multa eorum sustineri possent, quæ tamen ille suo stylo censorio voluit configere propter nimium studium religionis, & communis doctrinæ, cui prospiciebat, metuens ne quem mi-

nus peritum turbaret, uel nimis audacem incitaret. Scias autem, Lector errare uulgus existimans illos libros Retractationum esse plenos errorum, quos Augustinus correxerit, cum secus sit; nam ij libri uerius dicendi sunt libri recognitionum, & recensionum operum Augustini, quo uocabulo usus fuit prudenter Possidius in eius uita, in quibus Augustinus recenset, & recognoscit, & numerat opera sua exprimens tempus, & materiam, & causam scribendi, & tractandi, iterum de illis rebus iam tractatis, quod est proprie retractare. Obiter quidem emendat nonnulla, quæ sibi exciderunt minus opportunè, & cautè pronunciata, quæ maiorem partem in uocabulis uersantur, quorum erat religiosissimus V. G. *Fati, Fortunæ, Musarum*, & similium quæ illa ætate superstitiosum quiddam resonare apud imperitos uidebantur. Cæterum in rebus uix est quod possis corrigere, excepto illo, quem explodit, c. 24. lib. 1. Retract. errore, de initio fidei ex natura ante omnem gratiam, in quo fuit initio suæ conuersionis cum minus esset eruditus, quemque postea doctior agnouit, & damnauit, vti perspicuè ac luculenter tradit lib. de Prædest. sanct. à c. 2. ad 9.

Hoc est primum quod mihi posset doctissimus P. Lupus obijcere; cui, opinor, satisfeci. Alterum esto. Me in eo loco de Clau. Petri docuisse contrarium, & à me nunc prorsus dissentire. cum ibi admittam Canonem 8. Concilj Niceni expressè à me productum militare contra electionem Augustini, eumque hoc ipsum falsum fuisse, atque adeo in eadem omnino P. Lupi esse sententia.

Fateor me eo in loco ad finem c. 3. ante Parergon de Chorepiscopis ita iudicasse; verùm adieci me tu-

tiorem sequi sententiam. eoque declaraui alteram, quam nunc propono, esse probabilem; & addidi, *Tutius tamen est de omnibus accipere quo longius a periculo errandi simus, cùm præsertim alia via tutò ac expeditè incedere possemus*. Tandem nolo videri à me dissensisse. Dico igitur meum institutum in eo loco de Clau. Petri fuisse sensum germanum, & genuinum afferre, quem nunc sequor. Canonem Concilij Niceni vniuersim loqui de omnibus Episcopis, omninò, & ita Augustinum intellexisse. Nunc verò meas partes esse excogitare modos probabiles liberandi Augustinum à reprehensione, & impostura erroris, quem illi affingit P. Lupi, quos qui tenere velit probabiliter opinabitur, & Augustinum excusabit. Vt enim quis reprehensione careat sufficit probabilem sui iudicij causam afferre; non enim tenemur probabiliorem sequi opinionem, sed satis est cum probabili conformari, quemadmodum tradit in Scholis communior Theologorum sententia. Maneat igitur eas rationes exponendi mētem Canonis Niceni, & Augustini satis esse ad uitandam Lupi reprehēsionem, cū sint & idoneæ, & probabiles, & expeditæ. Equidē ita præfero illā primā meā sententiā huic secundæ quatenus ueritatis ratio habeatur, nō autē ut inde sequatur improbatio secūdæ ad remouendā calumniā excogitatæ. Fateor primā esse meliorē, & tutiorē, non tamen nego secundam esse tutam, & uerosimilē: secludo errorem, ignominiam depello, uolo ut sit in tuto fama, & existimatio sūmi Doctoris Augustini, quā nūquam patiar à quoquam lædi, aut uiolari: moneoque P. Lupum, ut deleat illam notam Erroris quam inurit parenti suo Augustino, & rogo ne deinceps eum audeat lacessere, uel præstringere.

Huiusce

Huiusce rei documentum præbuit P. Lupus qui dum corrigit Augustinum errat corrigendo. Nam ille in quæstione quodlibet. de Orig. Augustinensium tradit Aurelium à Genetlio uiuente ordinatum fuisse Coadiutorem, & succesorem, qua ratione fuit postea Augustinus ab Aurelio in societatem Episcopalis muneris assumptus. Quod est omnino falsum. Successit quippe Aurelius mortuo Genetlio, vti demonstrant eruditè Patres Garnerius Iesuita, & Noris Augustinianus. Fefellit Lupum quòd in Concilio Carthaginiensi vulgò Secundo assident tanquam Collegæ Genetlius, & Aurelius sine vlla distinctione Sedium, perinde ac ambo Carthaginienses Episcopi, & Primates essent, atque ex eo deduxit Lupus Aurelium substitutum esse à Genetlio, & simul cum eo præsidere. Falsò quidem: nam in eo Concilio non interfuit Aurelius vti Primas, sed vti suffraganeus Primatis. Quod autem sedes Aurelij prætermittatur non est nouum in Catalogis Conciliorum. Imo in hoc eodem Concilio præteritur Sedes Fortunati Episcopi post Aurelium positi. Vt cumque sit constat Lupum existimasse ante Augustinum fuisse Aurelium viuente Genetlio Primatem Carthaginiensem, nec propterea tamen eos Patres à Lupo reprehensos. Cur ergo vitio vertit Augustino, & Aurelio eam ordinationem quæ iam semel antea fuerat vsurpata? Cur non clamauit illam primam fuisse contra Canonem Concilij Niceni? Debuisset certè vehementiùs improbare priorem illam electionem Aurelij, quàm posteriorem Augustini, aut de vtraque silere; non autem prodere Augustinianam, & sugillare; noluit tamen de Augustino tacere, quem maluit reprehendere, quàm excu-

ſare ; Trado eum caſtigandum homini tuæ religionis, & quidem familiari P. Henrico Noris lib. 1. Hiſt. Pelag. c. 17. vbi refutat Lupum . Obſeruo autem illud Concilium à Mariano Scoto coniectum fuiſſe in Conſulatum Valentiniani quartum , & Theodoſ. 15. & à Baronio in conſulatum Theodoſii vndecimum; ſed accuratiùs rem expendit Noris ; quamquam minus ei aſſentior in eo quod ait , falsò in eo poni nomen Aurelij ; neceſſe eſt enim expleri numerum Epiſcoporum , qui in ea Synodo interfuiſſe memorantur . Sed de his hactenus . Illud operæ pretium fore puto ſi oſtendam libros Retractationum liberos eſſe ab erroribus, quibus vulgus exiſtimat abundare propter vulgarem ſignificationem vocabuli *Retractationum* quod ſumitur in ſenſu Correctionum . Sic enim patebit me iuſtam agere cauſam , dum Auguſtinum ab omni macula erroris liberum volo præſtare .

Igitur veriſſimum eſt quod dixi *Retractationes* Auguſtini in eo ſenſu ſumi, quo latinè dicitur *Retractatio* vti *repetita tractatio* ſiue *recognitio librorum* ; non autem *correctio errorum* qui in ijs libris contineantur . Non nego tamen obiter nonnulla quæ Auguſtino minus placebant ab eo corrigi , & emendari , quæ tamen fuerunt pauciſſima , & in ſignificatione potius quam in ſenſu & re corrigenda . Patet id ex multis libris Auguſtini ibi poſitis ſine vlla prorſus ne uocabuli quidem correctione . Quod ego diligentiſſimè obſeruaui . Igitur in primo Retractationum libro. c. 1. 6. 12. 14. 18. 20. 27. nihil omnino corrigitur . In ſecundo libro Retractationum c. 2. 8. 9. 10. 11. 13. 19. 21. 23. 25. 26. 29. 32. 35. 36.

38. 39. 40. 41. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 56. 57 58. 59. 60. 61. 63. 64. 66. 67. nulla est emendatio, in alijs uerò, quæ corriguntur, ea in uerborum significatione uersantur, nulla sensus prauitate. Illud palmarium est, & notabile: nihil eorum quæ contra Pelagianos, & Semipelagianos scripsit fuisse ab Augustino ne uerbo quidem tenus emendatum, uel correctum. Error autem de initio fidei sine gratia unus emendatur, qui iam pridem in alijs libris ab eodem Augustino correctus fuerat. Desinat igitur uulgus suæ opinationis, nec existimet libros Retractationum esse libros correctionum.



## Caput II.

*Affertur prima macula Erroris à P. Lupo impacta Augustino. Sumpta ex ignoratione Concilij Sardicensis. Narratur factum: expenditur ius; rationibus, exemplis, coniecturis ostenditur liber omni suspicione erroris Augustinus, cuius sententia probabilis redditur, quæ negabat distinctionem Concilij Sardicensis à conuenticulo Philippopolitano, eaque auctoritate suadetur, & argumentis confirmatur. Basilius obiter à calumnia Lupiana vindicatur.*

HÆc est multò grauior, & asperioribus expressa verbis hoc modo. *Dum item Augustinus Episcopus Sardicensem Synodum à Philippopolitano conuenticulo distinguere nesciit, nesciit & vnum è palmaribus Donatistarum pro suo schismate fundamentis ad fundum exhaurire.* Vt hoc verum esset molliùs esset accipiendus Sanctus Doctor, non autem illo verbo, quo nullum est grauius, nec ignominiosius *Nesciit: nesciit* appellandus: Contremui, & obrigui cum in illud incidi. Efficiam, vt Pater Lupi quod emisit verbum omnino reuocatum velit. Ac illud affirmo Augustinum cum toto Africano Concilio, in quod redundat conuicium, illud Sardicense Concilium probabiliter negasse Catholicorum fuisse, nec aliam eius nominis Synodum præter unam Sardicensem turbulentam, & ex hæreticis conflatam, excluso isto Philippopolitano conuenticulo, adstruxisse. Nouum hoc uidebitur Patri Lupo, & uulgo scriptorum. Peto tamen, ut me patienter audiant, &

obseruent modum loquendi meum. Promitto me argumentando effecturum, ut uideatur probabile non fuisse duo Concilia, unum Sardicense Catholicum, alterum Philippopolitanũ hæreticũ, sed unum tantùm Sardicense turbidum, & seditiosum, ut hæreticorum fuisse uerisimiliter iudicari possit. Itaque statuo probabilitatem sententiæ Augustini, & Ecclesiæ Africanæ, non euerto communem sententiam, cui adhæreo. Verisimilitudinem tantum inquiro, & induco.

Primò ab auctoritate incipio, & insolentiam, & temeritatem remoueo, quæ maximè auctoritate tollitur. Cardinalis Bellarminus tom. 1. in 4. Controu. Gener. de Concil. & Eccles. lib. 1. c. 7. in tit. *Concilia partim confirmata, partim reprobata. Primum*, inquit, *generale, partim confirmatum, partim reprobatum, est Sardicense Concilium celebratũ Anno Domini cccli. tempore Cõstantij, & Iulij: ex quibus ccc. Episcopi Occidentales Fidem Catholicam confirmarunt, quam exponit Hilarius in lib. de Synod. reliqui lxxvi. Episcopi Orientales Fidem Arianam scripserunt.* Deinde ponit Concilium Syrmiense. Vnum igitur Concilium Sardicense, idemque ex omnibus Episcopis Orientis, & Occidentis collectum, iusto numero 376. constans, non duo alterum Philippopoli, alterum Sardicæ admittit, nec separat Catholicos ab hæreticis, quasi ex vtrisque conflatum fuerit. Quod autem ait; *partim confirmatum, partim reprobatum* non in duo, sed in vnum tantùm quadrat Concilium. Animaduerto insuper, quibus vtitur verbis *Confirmarunt, & Scripserunt* ea significare Catholicos non scripsisse, Hæreticos autem scripsisse suam professionem, vt appareat, quod affirmat Augustinus statim laudandus, videlicet non esse credendum exemplis illius Concilij, quæ proponebantur ab Hære-

ticis Donatistis, quòd illa erant Hæreticorum, non Catholicorum, quasi ab his nihil scriptum esset ad confirmandam fidem iam pridem satis in Concilio Nicæno definitam, sed tantum verbis reuerenter summo consensu omnium confirmatam: quemadmodum postea dicemus, & Bellarminus vir doctissimus obseruauit, vt potè qui legisset Athanasium negare quidquam in eo Concilio ad confirmandam, vel augendam confessionem Fidei Nicænæ scriptis mandatum fuisse, vnde *Tabellas*, inquit, *quas non nulli iactant quasi in Sardicensi Synodo de Fide cõscriptas ne legi quidem semel, aut proferri sinatis*. Ita ad Ecclesiam Antiochenam Athanasius: idque decreto Concilij sancitum: addit *Nequid de Fide vlterius scriberetur, quàm fuerat in Nicæno Concilio definitum*. Sed hæc suo loco fusiùs prosequemur.

Secundò. Suffragatur auctoritas eiusdem Concilij Sardicensis in Epistola Synodali posita post suscriptiones Episcoporum, quæ narrat Episcopos Orientales Arianos Sardicæ tempore Concilij versatos esse, & mille modis, & artibus conatos fuisse impedire conuentus Episcoporum, ne quid congregati decernerent. Verba sunt. *Isti namque* [ hoc est quos nominat ibi Principes Arianorum ] *venientes in Sardicam conciliabula apud semetipsos per loca singula faciebant, & acta quidem cum terroribus concinnabant, vt nihil penitus ad iudicium perueniret*: addunt *neque sanctum possemus celebrare Concilium. Hæc omnia cognoscere potuimus à ConSacerdotibus nostris Macario Palæstino, & Asterio Arabiæ, qui cum eis venerant, & ab eorum perfidia recesserant. Hi namque ad Sanctum Concilium venientes violentiam quam passi sunt narrauerunt, dicentes, nihil apud eos agi rectum; insuper adijcientes quod cum essent rectæ fidei prohibiti fuissent ad hæc loca venire, & propter interminationem vix ab ijs*

*discedere potuissent. Ob hanc causam Sardicen venientes in vna domo cuncti manserunt, neque breui tempore à se recedere patientes.* Qui tantum audebant, & poterant Sardicæ, quo modo postea fugerunt Philippopolim, cuius hic nulla prorsus mentio fit, sed Sardicæ vbi erant, vbi grassabantur, & Concilium perturbabant. Neque oppones facta fuisse decreta de innocentia Athanasij, Marcelli, & Asclepæ, & aliorum à suis Ecclesijs expulsorum. Respondeo enim propterea Arianos insolentius se gessisse, quòd se inconsultis illud iudicium factũ esset, cum de eo consuli debuissent, tanquã iudices in causa communi, ac eo nomine ad Concilium vocati essent. Vnde accepta incusãdi Catholicos ansa audaciùs, & impudentiùs agere occęperunt, idque tradit Seuerus Sulpicius agens de Syrmiensi Synodo: *Nacti Ariani istiusmodi occasionem conspirant penitus Sardicensis Synodi decreta subuertere.* Et quamquam scribat de Syrmiensi absolutione, satis indicat non sibi placuisse prius decretum Sardicensis Concilij absoluentis. Fauet Sanctus Basilius Epist. 10. ad Nazianzenum vbi improbat decretum de venia Marcello Sardicæ data. Et quidem causa Marcelli ambigua satis est, & implexa in Ecclesiastica historia. Quare immeritò reprehenditur Sanctus Basilius à Patre Lupi c. 6. Scholiorum in Canones Concilij Sardicensis, quod secus de illo censuerit: cum ipsemet Lupi c. 6. p. §. *Respondeo* coactus sit fateri Marcellum ambiguis suis vocibus Patres, & Iulium Papam delusisse. Audiamus verba Lupi. *Exinde videlicet post damnationem Liberii omnis Ecclesia de Marcello sensit, tanquam qui Synodum Sardicensem, & Iulium Pontificem æquiuocis, aut palam mendacibus professionibus circumscripsisset.* Vbi obiter animaduerto Patrem Lupi suæ in Basilium acerbitatis

pęnas

pęnas dedisse, cùm in eandem penè sententiam, quam ei quasi absurdam exprobrat, inciderit. Documento: Sanctos Patres reuerentius esse habendos. Qua ego Religione teneor, teneborque, dum vixero. Pudet me illorum Lupi verborum de Basilio. *Loquitur oculo per iram turbato. In iram frequenti ieiunio, studentium more, pronior Basilius.* Et postea. *Culpandus omnino est Sanctus Basilius.* Mallem vt his abstineret vir doctus, & pius, & mihi familiaris, & carus. Sed qui cum Augustino parente egit acerbè, de eo non erat sperandum, vt cum Basilio mitiùs ageret. Verùm de hoc cum illo aliàs expostulabimus. Magnus est Basilius, & maior quàm vt his minutis petitiunculis Lupi vulneretur. Ad institutum. Sardicæ non Philippopoli, Ariani degebant, & agebant huiusmodi turbas, & tumultus, & Concilium perturbabant.

Tertiò. Synodus ipsa Arianorũ, quam volunt coactã Philippopoli, testatur, & clamat Sardicæ, non Philippopoli coactam fuisse. Sic scribitur in Epistola ad omnes orbis Episcopos; nam in titulo expressè ponitur *Ad ciuitatem Sardicam congregati Concilium celebrauimus.* Et rursum. *placuit nobis de Sardica scribere*, & ita semper loquendo se gerunt, vt Sardicæ congregatos se esse affirment, non autem extra Sardicam. Quod certè non facerent, vti nec scriberent in Epistola Synodali, & Synodi decretis, si alibi congregarentur. Facile enim conuincerentur mendacij, & sibi abrogarent fidem, nec quisquam eorũ dogmatibus fidem haberet, qui tam impudenter mentirẽtur. Nec erat causa fugiẽdi hominibus audacibus, & perditis, qui vi potius, quàm iure agebãt, & in armis spẽ reponebãt. Certè ipsemet Athanasius in Epi. ad Solitar. habuisse eos secũ narrat *pædagogos, & aduocatos Comitẽ cũ satellit*

*& Hesychium Castrensem quorum opera se quibus volebant terribiles ostendebant, & insidias quibus libitum erat innectebant.* Et disertè *Arbitrati*, ait, *nos minimè occursuros*. Vbi obserua Episcopos Arianos priores Sardicam videri venisse, atque adeo tutiores esse cum primi locum occupasent. Quod si fallit coniectura, saltem id habemus, plenos eos animorum fuisse, & paratos cum aduersariùs concertare. Constat multùm eos potuisse, quòd Macarius, & Asterius, & qui Catholici eorum in itinere Comites fuerant eorumdem vafriciem, iudiciumque metuebant, vti habetur in Epist. 3. Synodali. Timorem probauit euentus, cum ij non auderent Sardicæ ab illorum contubernio recedere, sed in vna simul cum eis domo habitare cogerentur. At erant in Ciuitate Constantis: fateor, sed non erant in potestate Constantis, eo præsertim absente, nec aduersarios vlla ui armorum coercente. Accedit quòd in palatium concesserant, vbi domicilium habebant, vt scribit Athanasius illa Epist. ad Solitar. quod argumentum est potestatis. Timerent ne Constantem, qui Constantio tum hæretico ac propugnatore hæreseos Arianæ sidebant, qui olim Constantino præsente aperta vi grassati in Catholicos tot turbas, & tumultus excitarunt? Verùm secus habet narratio Athanasii in eadem Epistola, vbi eos sic inducit loquentes: *Melius est de fuga erubescere, quàm conuictos de Sycophantia damnari. Si fugerimus poterimus aliquomodo hæresim propugnare.* Fateor ita scribi in ijs litteris, sed ego suspectam existimo hanc particulam. An ita de causa sua loquerentur Episcopi audaces, proiecti, & sui pleni? *Præstat de fuga erubescere, quàm de sycophantia damnari?* Illi erubescerent, aut erubescentiæ causam agnoscerent qui effrontes erant, & attrito pu-

dore

dore omnia ſuſdeque miſcebant. Illi diffiderent cauſæ, quam iuſtam, & tutam, & munitam argumentis, & armis eſse putabant? Illi fugam meditarentur qui ſperabant Catholicos in fugam eſse compulſuros? Qui Titanum more oppugnabant ſuperos, mortales horrerẽt? non fugerent plane ipſi, ſed alios fugarent. Erubeſcerent ſi fugerent, non quia erubeſcebant fugam capeſserent. Illud item ſuſpectum eſt. *Quàm conuictos de Sycophantia dæmnari*. Hoc de ſe dicerent illi Epiſcopi fidentes, audaces, animoſi qui putabant alios errare, ſe ſcopum veritatis attingere, & Sycophantiæ crimen à ſe abiicere, & in Catholicos reiicere conabantur? Sycophantas ſe eſse faterentur, qui ſe Hierophantas eſse iactabant? Iam vero quæ ſequuntur. *Si fugerimus poterimus aliquo modo hæreſim propugnare*; aliena ſunt ab eorum de ſe opinione. Nec enim hi putabant hæreticos ſe eſſe, nec hæreſim propugnare. Quotus enim quiſque hæreticus eſt qui velit hæreticum ſe eſse, & videri. Abſurda ſunt hæc, nec Arianis conuenientia, hominibus ſuperbis, & obſtinatis, qui errorem ſuum Catholicum dogma putabant, & locos ſcripturarum afferebant, quibus probabile illud reddere conabantur. Hoc ſonant verba illa Epiſt. Synod. Concil. Sardi. in 2. parte. *Valens, & Vrſatius duæ Viperæ ex Aſpide Ariana progreſſi ſunt, qui gloriantur, & non dubitant ſe profiteri Chriſtianos*. Quare illam particulam Epiſtolæ non admiſerim. Mihi perſuaſum eſt illos Epiſcopos Arianos permanſiſse Sardicæ, nec de fuga quidquam cogitaſse, atque ibi toto Concilii tempore fuiſse, ibi Synodum celebraſse, ea que Sardicenſe Concilium ſaltem perturbaſse, & ambiguum, & confuſum reddidiſse, & mihi conſentientem habeo grauiſsimum Scriptorem Cardinalem

Bellarminum lib. 2, de Concil. & Eccleſ. c. 8. vbi reſpondens Hermanno Hamelmano ſic ait. *Concilium Sardicenſe mox in duas partes diuiſum fuit; & quidem vna pars quæ erat Occidentalium ccc. Epiſcoporum cum quibus erant legati Iulij Papæ pro fide Catholica, & Athanaſio reſtituendo fuit, vt patet ex Hilario lib. de Synod. & ex Athanaſio Apol. 2. atque hanc partem confirmauit Leo. Altera pars fuit Orientalium lxx. Epiſcoporum, qui ſeorſim conuenientes fidem Catholicam, & Athanaſium damnauerunt; & de hoc loquitur Auguſtinus qui etiam non videtur legiſse aliud ex Concilio Sardicenſi, quàm id quod Orientales miſerant ad Africam vt vnirent ſibi Donatiſtas.* Ita Bellarminus. Ex his ſumo ea ſolùm quæ ad meum inſtitutum faciunt, videlicet Concilium iſtud Sardicenſe totum ac integrum tum ex Occidentalibus, tum ex Orientalibus conflatum Patribus intra Vrbem Sardicam celebratum fuiſſe: ut excludam Philippopolitanũ. Cetera in medio relinquo ſuo loco examinanda.

Quartò. Communis opinio Donatiſtarum in Africa exiſtimantium ſe in Sardicenſi Concilio fuiſſe admiſſos ad Communionem Catholicam, ac exhibentium litteras, quæ Formatæ dici ſolitæ, ad Donatum eorum Primatem à Patribus Sardicenſibus, tanquàm ad hominem Catholicæ communionis datas; de quo certè non gloriarentur Donatiſtæ ſi illa Synodus Arianorum Philoppopolitana, non Sardicenſis extitiſſet. Conſtat autem de ijs litteris Formatis ex volumine prolato à Fortunio Epiſcopo Tuburſico Donatiſta, qui eo ſe nomine iactabat, & Auguſtino perſuadere volebat earum argumento litterarum, partem Donati eſſe Catholicam, quemadmodum continetur in Epiſt. S. Aug. ſcripta Eleuſio, Glorio, & Felicibus, quæ eſt numero 163. & ex lib. 3. contra Creſconium cap. 34. &

lib.

lib. 4. contra eundem cap. 44. vbi eandem ob caussam exultanti Cresconio respondet Augustinus, illud Concilium Arianorum fuisse. Et quidem Donatistæ semper Sardicense illud Concilium appellarunt, nec illud aliud Philippopolitanum agnouerunt. Atque hinc idoneum sumitur argumentum illud Concilium Sardicense Hæreticorum existimatum, & nuncupatum: nam Concilia nomen accipiebant à locis, vbi congregabantur, idque tam est solemne vt etiam priuatas Ecclesias & Palatia in quibus habebantur designarent, quale fuit *Sanctæ Euphemiæ*, *Lateranense* & similia, hinc etiam *Trullanum* à loco appellatum. Non auderent ergo Ariani si congregarentur Philippopoli mutare nomen ciuitatis, & Sardicense Concilium eo nomine inscribere, & euulgare.

Quintò [ estque Achilleum argumentum ] sententia Augustini de isto Concilio. Is cum dubitasset aliquando an esset Catholicorum, an Hæreticorum? numquam dubitauit fuisse Sardicense, & ibi congregatum. Patet hoc ex historia ab eo narrata Epist. 163. de sua cum Fortunio Episcopo Tubursico Donatista disputatione super communionem Catholicam proximæ commemorata. Prolato enim à Fortunio Commentario Concilij quasi Sardicensis Catholici, Augustinus, vti erat candidus, & ingenuus, credidit esse Catholicum, id præsertim Fortunio affirmante. Et ne conuinceretur à Fortunio eo exhibito contendente partem Donati esse Catholicam, quãdoquidem Concilium Catholicorum cum ea communicauerat, negauit illũ ad quẽ missũ fuerat volumẽ, esse

Donatiſtam. Quamuis enim is Donatus diceretur, non ex eo ſequi eſse illum Donatum Primatem Donatiſtam, cùm poſset eſse alius Donatus eiuſdem nominis Catholicus, ſiue Afer, ſiue alterius nationis; idque confirmauit coniectura, quòd ad alios Africæ Donatiſtas Epiſcopos eæ litteræ miſsa non eſsent. Prætereà illud volumen, quod monſtrabat Fortunius ſuſpectum videri, quòd nec annus, nec Conſul in eo notaretur. Verum cum ſtatim ei in mentem veniſſent artes, & fraudes Arianorum in adſciſcendis ſibi ſocijs Donatiſtis iam anteà in Nicæno Concilio id tentantium, ac inſuper de eo monitus eſset ab Alipio, poſtulato codice legit intus contenta, ac comperit in eo damnari Athanaſium, & Iulium Papam, ac proindè ſibi perſuaſit, quòd omnino Arianorum erat illud Sardicenſe Concilium, ac eo nominato dixit in Sardicenſi Concilio vtrumque fuiſse reprobatum. Dubitauit primò, deinde credidit illud Concilium Hæreticorum fuiſse, & Sardicenſe fuiſse. Sanè qui norit ingenium Auguſtini circumſpectum, prudens, & cautum exiſtimabit eum, haud temere credidiſse illud Concilium Sardicæ, non alibi celebratum. Poſset enim facilius negare Concilium eſse Sardicenſe, & alibi congregatum dicere, quamquam de Philippopoli taceret. Verùm quia duxit improbabile fingi Concilij locum, quòd id maxime inſolens, & impudens mendacium eſset, noluit in dubium reuocare. Non progredior vlterius in mente Auguſtini inquirenda, quia alij loci clariores ſunt, vbi affirmauit Concilium Sardicenſe hæreticorum fuiſse, quos poſteà aſſeremus.

Hæc quinque argumenta, ni ego fallor, verisimilem redunt eam sententiam quæ negat istud Concilium Philippopoli celebratum, & affirmat Sardicæ habitum fuisse. Itaque nemo erit quin sibi persuadeat nihil esse timendum ei, qui velit cum Augustino, & Patribus Africanis sentire, quamquam videatur à communi sententia recedere; à qua nos tamen nolumus discrepare, eam enim recipimus, & sustinemus, vti sæpe monuimus, & denuò monemus propter Augustini, & aliorum Patrum Africanorum reuerentiã voluisse partem negantem probabilem reddere, nequis esset qui auderet maculam vllam vel erroris, vel ignorantiæ sapientissimo Doctori, & grauissimo Concilio impingere. Miramur vero P. Lupum tam facile rem istam sibi persuasisse, & tam acriter & acerbè parentem suum Augustinum reprehendisse: nos contrà eum conati sumus vindicare, idque præstabimus deinceps, nec erit qui nobis viuentibus audeat impunè tantum Doctorem imò doctorum omnium coryphæum sugillare.



## Caput III.

*Retenta communi sententia de Sardicensi vniuersali Catholicorum Concilio verosimilis tamen esse contraria auctoritate Augustini, & Patrum Africanorum rationibus, & coniecturis ductis a tempore, à loco Concilij, à numero Episcoporum, a Præside, à scopo, à textu, à methodo, ab absurdis ostenditur: vbi multa reconditæ eruditionis, & doctrina plena afferuntur, & explanantur. Augustini existimatio sustinetur.*

EO libentiùs hanc quæstionem suscipio, quòd video passim Augustino, & Patribus Africanis obijci ignorationem huius Concilij, & in reprehensionem verti; quemadmodum apparet in Patre Lupi hoc loco, qui & id miratur & exprobat cum iurgio Augustino, & in Patre Nori lib. primo Hist. Pelag. c. 17. prope finem vbi citra reprehensionem miratur id Augustino visum, vt omittam alios cum sit satis duos Augustinianos, & quidem insignes eruditione viros nominare. Ego qui nemini in legendo, & colendo Augustino, vel maximè Augustiniano cedo, conabor pro meo virili ostendere verosimile esse hoc Concilium Sardicæ celebratum hæreticorum, non Catholicorum fuisse, nec quod hoc Augustinus affirmauerit quidquam in eo peccasse, & Patres Africanos meritò illud Concilium, quod vulgo Catholicorum habetur ignorasse. Dico autem me verosimile id esse, non certum facturum, nec enim communi sententiæ audeo contradicere. Recipio Con-

cilium

cilium Catholicum. Tantum persuadeo qui illud neget non propterea eum esse notandum aut temeritatis, aut nesciētiæ, cùm sit verisimile, & probabile non fuisse.

Ac primum verisimilitudinis argumentum est ipsamet profunda ignoratio Patrum Carthaginensium, quæ sane supina, & vecors esset si id Sardicense Concilium extitisset. Nam cum in eo Gratus Carthaginensis Primas, & cum illo triginta quinque Patres, vti vulgò creditur, Africani in eo fuissent, & recens esset memoria Concilij, & parua esset temporis distantia, & infra seculum inter illos Patres Concilij Sardicensis, & hos Patres Sexti Concilij Africani, non poterat ignorari ab his Patribus, qui illis suppares erant, adeo vt possent nonnulli alijs qui in Concilio Sardicensi fuerant propè succedere. Nam cùm illud Concilium Sardicense celebratum sit anno. 347. quod volunt plures, & inter Gratum, & Aurelium duo tantùm Primates, nec longæ uitæ intercesserint, Restitutus, & Genethlius, potuit certè Aurelius ab aliquo eorum de illo Concilio aliquid audire. Fuit quippè Aurelius creatus Primas anno 391. Diaconus uero anno 388. qui vt tum ageret annos 25. propè aberat ab ipsomet Grato, à quò si minus, certè ab Restituto discere potuit. Deinde si, ut tradunt auctores, illius Concilij decreta scripta sunt, & ad Ecclesias vel missa, vel delata, quomodo ea non innotuerunt Patribus Africanis, cum præsertim tot Episcopi Africani interfuissent à quibus ea scripta deferri in Africam debuissent? Præterea si Ariani cum tam pauci, vt aiunt, essent, & nullum secum ex Africa Episcopum haberent potuerunt scripta dogmata sua in Africam mittere, & Parti Donati communicare,

vt apparet in Epistola eorum Synodali: sic enim inscribitur ad Donatum Carthaginiensem, & in locis Augustini statim citandis, cur id aut omiserunt Catholici Africani redeuntes, aut Sardicæ remanentes neglexerunt? Certè qui hæc attentè consideret non imprudenter iudicabit, aut non potuisse ignorare Concilium, si fuisset, aut contra si ignotum fuit, non extitisse.

Non minus verosimilis est Augustini definita sententia, negantis illud esse Catholicorum, & affirmantis esse Hæreticorum. Nam qui diuini illius viri norit ingenium, planè comperiet nihil eo esse consideratius, circumspectius, cautius, atque prudentius, vt nihil affirmet, nisi quod habeat perspectum ac exploratum: Siquid secus habeat, de eo semper sustineat iudicium: qua propter eum Maldonatus insignis auctor Societatis vocare solet hominem in sustinendo iudicio miræ prudentiæ. Is ergo & idem Augustinus affirmando illud Concilium Sardicense esse Hæreticorum probabilem efficit sententiam, quæ affirmat Catholicorum nullum fuisse. Audiamus Augustinum lib. 3. contra Cresconium c. 34. vbi cum eo disputans proferente Synodalem illam Epistolam Concilij Sardicensis quam proxime laudabimus sic ait: *Inseris principium Epistolæ Concilij Sardicensis, vbi Donati Episcopi vestri nomen inuenitur adscriptum. Quod ideo factum putas, & affirmas, quod videlicet Orientalibus qui de Concilio suo scripta miserunt facinus displicuerit traditorum, & ab eorum se communione retraxerint, & proptera Donato vestro communicabant. Disce ergo quod nescis. Sardicense Concilium Arianorum fuisse, quod notum iam diu est, vt habemus in manibus, contractum maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem ex ipsa ciuitate ortum præ cæteris acriter arguebat, & refellebat. Non*

*igitur*

*igitur mirum, si illi Hæretici Donatum sibi adsciscere tentauerunt, quos per totum orbem Catholica damnabat Ecclesia, quamquam nos sine ciuitatum nominibus Episcopos ad quos hæ litteræ datæ sunt habeamus. Aut ergo aliquis Donatus fuit non in Africa, cui nomen Carthago à vestris est addita, aut vt dixi Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentauit adiungere, quòd tum maxime credibile est, quod ad Carthaginis Episcopum Romano prætermisso, nunquam Orientalis Ecclesia scriberet, vbi saltem vester scribi debuit, quem solet is Romam paucis vestris mittere ex Africa. Sed Deo gratias, quod nec valuit, si tamen cœpta est illa conspiratio Hæreticorum Orientalium cum Apbris Hæreticis præualere.* Similia habet lib. 4. contra eundem Cresconium cap. 44. quem quòd geminus est locus prætermitto; tantum adiungo illam particulam, quæ rem continet *Quod quidem Concilium ne te lateat Arianorum est.* Bis ergo Augustinus, & quidem seriò, & grauiter disputando cum Cresconio, homine, etsi Grammatico, non inerudito, neque adipali Concilium Sardicense, quod ille credebat Catholicum, Hæreticum conciliabulum esse affirmauit. An hoc diceret Augustinus temerè? Expendo locum proximè adductum, in quo ait. *Quod notum iam diù est, & habemus in manibus, contractum, maximè contra Athanasium.* Idque eò dixit, quia initio minus id habuerat exploratum: quemadmodum narrat Epist. 163. Glorio, & Eleusio, nam cum Cyrtham pergeret, Tubursico ciuitate transiens incidit in Fortunium eius Episcopum Donatistam, qui ei idem argumentum proposuit adstruendam Donatistarum cum Ecclesia Catholica communionem prolato volumine Sardicensis Concilij, in cuius Epistola Synodali Donati Carthaginiensis Episcopi nomen erat. Erat autem illud volumen, & quod in eo continebatur Concilium, nouum & inco-

gnitum Augustino, qui cum primùm existimasset Catholicorum esse respondit, eo non probari scopum Donatistarum, cum Donati nomen posset esse alicuius Episcopi Catholici eiusdem nominis, non autem illius Donatistæ Carthaginiensis Episcopi: posteà tamen vt erat acutus, & cautus suspicari cœpit illud Concilium exhibitum à Fortunio Hæreticorum fuisse, atque adeo suspectum, tum ex defectu anni, & Consulis, tum ex ingenio Arianorum fraudulento, qui aliàs ea arte vsi fuissent: ac insuper de eo item monitus ab Alipio idipsum in aurem suggerente sibi persuasit illud Concilium Hæreticorum fuisse: quod tandem certum esse comperit accepto, & lecto volumine, in quo inuenit Iulium Papam, & Athanasium improbatos; inde oblata est occasio Augustino inquirendi posteà de eo Concilio diligentissimè, quod tunc non potuit præstare properans aliò causa ordinandi Episcopi Cirthensis. Id argumento est ab eo postea per otium effectum, vti ex duobus locis contra Cresconium apparet. Hinc manifestè deducitur Augustinum non leuiter, ac temere illud Concilium Sardicense Catholicum negasse, & solum Sardicense Hæreticum affirmasse, sed planè verisimiliter, nam si illud esset tam vicinum tempore, & tam obuium, & vulgatum à tot Episcopis paulò ætate superioribus, & in tanta voluminum copia, quæ secum exportare debuerant facilè admodum inuentu esset, nec posset à subtili homine, & diligentissime rem examinante præteriri: cum igitur nihil Augustino in mentem venerit de Concilio illo Catholico, & solum Hæretici meminerit, signum est ad minus probabile illud Hæreticis adscribendum. Sanè si secus esset minimè id affirmatè diceret homo candidus, & inge-

nuus, ac sincerus, quique antea de eo cum Fortunio tam egerat cautè ac prudenter. Sentiant alii quod velint; mihi Augustinum ex suo ingenio æstimanti, ac in eo habitanti, & intus ac intimè noscenti videtur eum non alium inuenire potuisse Concilium Sardicense præter illud Hæreticorum, ac ex eo quòd ita senserit, qui ei consentiunt eos verisimiliter sentire. Tantum momenti in eo viro esse puto ad fidem habendam, & faciendam non solum in hac, sed in quacunque alia controuersia, quæ ab illo suscipiatur, & in quancunque partem definiatur. Equidem quod eius causam ago, quem nunquam deserui, cuique semper adhæsi plusquam iuratus, quique is sum qui eius non modo admiratorem me, sed etiam, quod nimium nonnulli esse putant, adoratorem exhibeo, rem istam studiosè, & accurate examinare volo, & ostendere pluribus argumentis, & coniecturis hanc sententiam Augustini vltra ipsius auctoritatem, quæ me conuincit, omnino esse probabilem.

Versamur in re facti. Ac primùm; temporis Concilii, & numeri Episcoporum magna varietas est; hinc duæ existunt coniecturæ. Prima sumitur à temporis diuersitate. Nam cùm omnes concordent anno 10. vel 11. post mortem Constantini magni celebratum fuisse Concilium. Sulpicius tamen Seuerus eo viuo tradit fuisse congregatum. Verùm insolens opinio est. Igitur constat eo mortuo esse habitum. De Consulibus tamen ambigitur. Initio Synodi editionis antiquæ Petri Crabæ Machilinensis legitur Leonio, & Sallustio consulibus. Cui consentit editio Surij secundum quas erit annus 344. hæc tamen opinio vulgò improbatur. Communis sententia

tradit Ruffino, & Eusebio Synodum congregatam, idest anno 347. ita Baronius, Spondanus, Binius, Lupi, & Noris, & qui melius sentire videntur. Secus tamen existimat Bellarminus grauis auctor, qui assignat annum 351. ita lib. 1. Concil. c. 7. Sed hæc diuersitatis temporis leuius est coniectura. Grauior est altera de numero Episcoporum. Athanasius quem sequuntur Socrates, Sozomenus, & vulgus scriptorum variat: nam in Epist. ad Solitar. ait 300 plus minus, omnes tum Catholicos, tum Arianos eos fuisse. In secunda Apologia initio numerat Catholicos plusquam 300. sub finem recens & 344. Theodoretus ponit 250. Socrates circiter 300. Sozomenus Occidentales ait fuisse 300. Orientales 76. Gratianus dist. 16. c. 21. numerum imminuit, & reducit ad 60. Bellarminus lib. 1. Concil. c. 7. censet 300. Catholicos Occidentales, & 76. Orientales Arianos. Baronius ad annum 347. ex Athanasio deducit plusquam. 344. si omnes numerentur nulla facta detractione. Exemplum Concilij Sardicensis Parisiense Regium habet in titulo 376, Idem statuit Seuerinus Binius in notis. Numerum 300. confirmat Zacharias Metropolita Chalcedonensis ad octauam Synodum. Consentit Hincmarus Rhemensis Epist. 33. Res est satis implexa, idque Pater Lupi fatetur aiens se nolle latiùs quærere, & non inuenire. Ambiguus est item numerus Hæreticorum, quos ii dicunt Philippopoli congregatos, minus tamen ille esset ambiguus nisi Orientalium nomen analogiam creasset. Igitur ii in Concilio Florentino dicuntur esse. 70. ab Andrea Rhodio. A Socrate & Sozomeno. 76. Ex Epistola Synodali §. *nos itaque* edit. Paris. 80. fuisse constat: quamquam in Catalogo numerentur soli. 73. Ve-

rùm desunt nonnulli, qui additi numerum iustum. 80. efficiunt. Hincmarus numerat 66. Bellarminus recensset 76. lib. 1. c. 7. Itaque numerus Arianorum etiam variat, sed minus esse videtur incertus.

Verùm obijciet aliquis: nihil hinc argumenti sumi posse ad infirmandam veritatem Concilij Sardicensis nec enim quicquam ex diuersitate numeri concluditur. Respondeo ex hoc idoneam promi coniecturam: quam ita suadeo. Propterea numerus incertus est, quia multi numerant simul Arianos cum Catholicis, quòd mixti erant, & in eadem congregabantur Synodo. Itaque omnes qui supra trecentos congregatos numerant, opinari videntur omnes idem Concilium conflasse, & ita variant numerando, quod minus essent cogniti Hæretici, alioqui certus semper numerus esset, si soli Catholici conuenissent. Quam quis neget esse probabilem coniecturam?

Tertia petitur à subscriptionibus, vnde apparet ambiguum illud fuisse Concilium. Nam in edit. Paris. ponuntur sola nomina sine locis, quòd fieri non solet, quemadmodum supra notauerat Augustinus. Aceruatim in prouincias conijciuntur sine vllo vel delectu, vel ordine, vel respectu. Et quamquam in alio Syllabo Parisiensi, & vno priscæ editionis nonnulli cum suis Ecclesijs ponuntur, eos paucos esse pro iusto numero comperimus. Deinde Orientales cum Occidentalibus miscentur; Græci quippe Occidentales appellantur, cùm Græca Ecclesia Orientalis, & habita, & dicta fuerit, tum ratione situs respectu Latinæ, tum Patriarchatus. Quo ergo iure ad Occidentem reducuntur? Videmus hic in ipsis Epistolis Synodi poni Achaiæ, Cariæ, Bithiniæ, Palestinæ, Arabiæ, Phrygiæ & in Syl-

labo Alexandriæ, Thessalonicæ, Nicopolis, Thebarum, & vicinarum, quæ certè prouinciæ ad Orientem spectant, & in alis Concilijs eò referuntur.

Præterea ex Africa aduocantur 35. Episcopi cum Grato Primate Carthaginensi, quot nunquam in alijs Concilijs Oecumenicis fuerunt, imo raro tu eos numerum in eundo inuenies. Exemplo sit magnum Concilium Nicenum, vbi solus Cæcilianus inuenitur. In Ephesino nullus censetur. Vnde ergo ista multitudo Episcoporum Afrorum in hanc synodum incubuit? Honori datur Augustino vocari ex Africa à Theodosio iuniori ad Concilium Ephesinum, quod nouum erat Africanos adesse tum propter assiduas Donatistarum turbas, tum propter frequentes Barbarorum irruptiones, quæ liberos illis commeatus impediebant. Mihi nemo persuaserit eos tot numero venisse, cùm præsertim uideam eius Concilij, vt supra animaduerti, nullam in Ecclesia Africana notitiam habitam fuisse, nec Patres vllos eius Synodi Canones agnouisse. Quod verum plane non esset, si tot Episcopi conuenissent. Firmo rem coniectura. Nullus ex his 36. nominatur in Syllabis antiquarum editionum, tum Crabrensis, tum Parisiensis, qui si tanto numero adfuissent, eorum aliquis re censeri debuisset, imo ne Gratum quidem interfuisse puto propter easdem rationes. Nec temerè dico; nam cur ei, si adfuit, Nessus præponitur, minor Primate Carthaginensi? præponi autē paret ex Actis Cōcilij. Certe hoc nō ferrēt Afri, imo ne alii quidē aliarū prouinciarum Episcopi tolerarent.

At opponet aduersarius non posse negari Gratum in ea Synodo fuisse, cum ipsemet in Cōcilio Carthaginensi primo, mox secuto in Africa Can. 5. cōfirmet di-

ctum Priuati Episcopi decreto Concilii Sardicensis vbi se adfuisse significat, ait quippe. *Memini in Sanctissimo Concilio Sardicensi statutum*. Quod testimonium haud dubiam fidē facit. Respōdeo me suspicari illud esse glossema, & ab aliquo studioso Cōcilii Sardicēsis immissū. Moueor eo quòd in antiquis exēplaribus Conciliorū, quale est Crabense, hoc Cōciliū Carthaginiense ponitur sub Papa Syluestro, aut Marco ante Iuliū, & Sardicēsē Synodū, & in Præfatione habetur nomen Cōstantini. Quòd si verū est, falsum est item illud assumentum, cùm nec Gratus in eo loqui potuerit. Vnum me tamen turbat, videlicet in eodem veteri exemplari Crabensi inueniri ea verba Grati de Concilio Sardicensi. Verum fieri potuit, vt per imprudentiam collectoris illa irrepserint. Nam mihi persuasum habeo, illa verba Grati non esse, nec in Concilio illo primo Carthaginiensi posita fuisse. Scirent enim ex ijs Africani Patres, & Augustinus illud Concilium Catholicorum fuisse, nec id eos lateret qui non longo interuallo temporis ab eo distarent. Essentque vituperandi duplici nomine. altero quòd ignorarent Synodum Sardicensem, altero quòd suæ nationis primū Conciliū non agnoscerent, essetque *nouissimus error peior priore*. Præterea, si verus esset ille Canon quintus non fugeret Hæreticos Donatistas, eoque vterentur ad probandam suam cum patribus eius Concilij communionem. Audaces eo facti intruderent se se, & inculcarent Canonem, & Grati testimonio tam aperto, tamque perspicuo Augustinum, & Episcopos Catholicos negātes eā Synodū fuisse Catholicorū, penitus cōuincerent. Quare nunquam in Cōcilijs Carthaginensibus Africanisue vlla mētio Sardicensis Concilii reperitur.

Quarta, ex scopo istius Synodi Sardicēsis deducitur illud Catholicorū nō fuisse, nec esse potuisse. Suadeo hac

ratione: qui ſciat ſcopum deſtinatum ſibi à Coucilio, & cum eo conferat acta, quæ feruntur Concilij, comperiet minimè eò collimaſſe Concilium. Igitur tres fines commemorantur propoſiti Patribus Sardicenſibus in Epiſtola liminari ad Iulium Papam. *Tria* inquiunt *fuerunt quæ tractanda erant ante omnia. Primus de recta fide, & integritate veritatis*. Secundus *de perſonis quas dicebant eſſe deiectas de iniquo iudicio*. Tertius de quæſtione *quòd graues & acerbas iniurias Eccleſiis fecerunt*. Imitari nempè voluerunt Patres Concilij Niceni, qui tres item fines ſibi propoſuerunt: De Fide Catholica contra Arium. De tollendo Schiſmate contra Meletium. De tempore Paſchatis conſtituendo aduerſus Iudaizantes. Patet ex Epiſtola Synodica Concilij Niceni ad Eccleſias Ægypti, Libyæ, & Pentapolis. Verùm Nicenum Concilium omnia præſtitit, quæ promiſerat. Sardicenſe omninò nihil. Totum conſumitur in iubendis legibus & Canonibus Eccleſiaſticis, nulla facta mentione de Fide, neque de abſolutione Athanaſii, neque de damnatione Arianorum. Nulla hic eſt profeſſio fidei, nulla forma abſolutionis Innocentium, nulla proſcriptio Nocentium. Quorſum ille Scopus triplex! ſi ab eo prorſus aberratur, & ſolum collimatur ad Eccleſiaſticam adminiſtrationem. At non aderant Epiſcopi Ariani. Fugerant. Vt verum eſſet, non idcirco debuerat Concilium omittere illa tria quæ propoſuerat, ſaltem ad documentum Catholicorum, & terrorem Hæreticorum. Secus actum in Concilio Conſtantinopolitano primo. Facta eſt fidei profeſſio, & anathema dictum Anomianis, Arianis, Eudoxianis, & Macedonianis abſentibus: iſque fuit primus Canon. Nec opponas vetitum fuiſſe ne fides de nouo confirmaretur;

nam

nam ſatis erat dicere vti in eodem Conſtantinopolitano Canone primo *Fidem non violandam Patrum 318. qui apud Niceam Bithyniæ conuenerunt, ſed manere eam firmam & ſtabilem*. Hoc decuit fieri: nec debuit, potuitue prohiberi. Licuit item anathematizare contrà ſentientes, & abſoluere innocentes. Eadem ratio ſeruata fuit in Concilio Epheſino, vt apparet Canone primo, qui omnino ſimilis eſt Conſtantinopolitano, in quo habetur fidei profeſſio, & quidem repetita, & cætera conformia Niceno, & Conſtantinopolitano. Imo Nicenum Symbolum amplificatum exhibetur. Itaque non oportebat expectare Hæreticos, nec eos præſentes habere; ſed quæ ſui erant officij præſtare, & in abſentes fulminare: ſicuti fecisse legimus Concilium Tridentinum, à quo Hæretici vocati fuerunt, & quoniam venire noluerunt, in eos abſentes fulminatum. Nihilo item minus debuit omitti profeſſio fidei; cuius rei clariſsimum exemplum eſt in Conſtantinopolitano primo generali Concilio, in quo Theodoſij Magni iuſsu, & Damaſi Papæ conſenſu celebrato conuenerant triginta ſex Macedoniani Epiſcopi, Duce Eleutherio Cyziceno qui timentes ne cogerentur admittere Homouſion è Concilio receſserunt, nec propterea tamen non fuerunt proſcripti, & inſuper Homouſion confirmatum manſit, quemadmodum in præfatione Pariſina videre eſt. Igitur apparat nihil ex propoſitis ſibi finibus præſtitiſſe Patres Sardicenſes. Nam nec profeſſionem ſuæ fidei emiſere: qui erat primus; nec abſoluerunt innocentes, qui erat ſecundus. nec damnarunt reos, qui erat tertius. Quorſum ergo erant congregati?

Reſpondebit tamen P. Lupi, vti habet in notis c.

tertio primũ caput profitendi fidem Nicenam omnino omitti debuisse, quòd erat seuerè vetitum ne quid de ea statueretur, sanciretur ve; atque adeo non esse finem propositum; idque liquere ex Athanasio ad Ecclesiam Antiochenam, & Eusebio Episcopo Vercellensi. Verùm id sustineri nequit, cùm contrà scribant ii quos eruditè laudat auctores: nimirum Theodoretus lib. 2. c. 8. Sozomenus lib. 3. c. 2. Vigilius Tridentinos lib. 5. Imo id significat Concilium Chalcedonense Relat. ad Marcianum Imperatorem, & disertè affirmat Andreas Rhodius ses. 7. Concilii Florentini. Adde Baronium anno 347. editionis Romanæ, & Seuerinum Binium in notis. Facilis itaque solutio est: dicendo aliud esse profiteri fidem, & sanctam ratamque habere: aliud eam recognoscere, & examinare, & confirmare: Hoc secundum non licuit, quòd innuebat dubitationem. Primum & licuit, & expediuit: fatebatur enim, & testabatur auctoritatem. Quo sensu Bellarminus dixit lib. 1. de Concil. c. 7. *Trecenti Episcopi Occidentales Fidem Catholicam confirmarunt.* Hanc nos professionem desideramus, quæ Symboli, & tesseræ instar esset Catholicæ Communionis, & hunc primum ex propositis futuro Concilio finibus esse affirmamus.

Quinta deducitur ex ipsomet testu Synodi. Totus hic conuertitur ad constitutiones Ecclesiasticas, & in iis ferendis consumitur; quòd certe alienum erat maximè ab instituto. Nam quæ necessitas tunc erat; aut quæ opportunitas disceptandi de iurisdictionibus, de iudiciis, de appellationibus, de reformationibus, quæ res erant morales, & ad aliud tempus quietum, & tranquillum spectantes? Fluctuabat Ecclesia velut in procelloso mari: sæua tempestas incubuerat, flabant ven-

ti aduersi, incerta & periculosa nauigatio erat, naucleri in tensendo, & moderando claro laborabant: intempestiua erat illa tractatio, quæ si minus otium, certè secundam nauigationem postulabat. Illa tractatio propria stationis, & portus erat: Instabat ab Hæreticis bellum, & Patres Catholici otiosi agebant de pace, & circunsonantibus tubis, & circunstrepentibus armis, cùm de arcendis hostibus, & suscipienda defensione agendum esset, ii sedentes de domesticis negotijs agitabant. Rectè in illam synodum quadraret illud Virgilii Aeneid. 11.

Cogite Concilium, & pacem laudate frequentes
Illi armis in regna ruunt.

Et illud aliud Horatii

Sed nunc non erat his locus:
Cupressum scis simulare.

Mihi ĩportuna sẽper visa est, & incõgrua illa tractatio.

Secus egerunt alij Ariani, suas opinationes confirmarunt, aduersarios proscripserunt, & sua scita, & decreta disseminarunt, vt sanè prudentiùs se gessisse viderentur. Nec mirum cùm filii huius sæculi interdum sint, Euangelio teste, filiis lucis prudentiores. At Episcopi Catholici statuebant ius appellandi ad sedem Apostolicam: importunè quidem, nempe cum Ariani eandem deiicere statuebant, & Papam Iulium condemnabant. Liberanda ea tunc erat ab incursu irruentium, sustinenda, tuenda, propugnanda, & Iulius Pontifex asserendus, & vindicandus, & repulsis hostibus exaltandus. Appellationum ius nihil ad Hæreticos attinebat, qui illius potestatem & auctoritatem infringere conabantur. Repellenda igitur vis erat more militari, non ius adstruen-

dum, opera sedentaria, de quo iure inter Catholicos prorsus constabat, nec Canonibus indigebat, cum Christi auctoritate niteretur, quemadmodum posteà multis argumentis demonstrabimus.

Sexta, & me auctore, valida & solida est ipsamet structura, & forma Concilij, sine aditu, sine vestibulo, sine ordine, sine dispositione, sine methodo: abrupta, inordinata, præpropera, fluxa, implexa, dissipata. Exlex prorsus videtur quod maximè lege constare debet Concilium. Vbi Zitisis? vbi Buli? vbi Doxa? vbi Agchinia? vbi Eustochia? nedum Eubulia: & Synesis? nihil consultatur, nihil deliberatur, nihil affertur in medium. Solus Osius tanquã Pythagoras Epha, & tanquam Apollo Delphicus, e Cortina, vel Deus è machina reddit oracula, edit responsa. Mussant Patres Gaudentius, Ianuarius, Aetius apud Dionysium: additur Alipius a Mercatore. Cæteri silent muti magis quàm pisces, imo quàm schaphiæ. Nihil ibi Athanasius, qui vel priuatus in Niceno Concilio sonuerat. Nihil Maximus Hierosolymitanus: nihil Spiridion Sanctissimus, qui interfuerat Concilio Niceno. Nihil Prothasius Mediolanensis, nihil Seuerus Rauennas. Nihil Lucillus Veronensis. Nihil Fortunatianus Aquileiensis. Nihil Maximinus Treuirensis. Nihil Martinus Moguntiacus. Nihil Euphrates Agrippinensis. Et quod amplius est nihil Archidamus, & Philoxenus Legati Apostolici pronunciarunt. Omnes itaque Osij Pedanei Senatores fuerunt. Credat qui volet: ego adduci non possũ vt credã. Deinde verbũ *Placet* est tota penè summa iudicij, & veluti Placenta dulcis omnibus gustantibus placet. Interdum ponitur *Sanciatur*, *decernatur*, vbi, & quando, & quomodo non apparet. Multa

ibi ponuntur frigida, leuia, & minus apta: cuiusmodi est illud Can. 1. quòd nemo Episcopus adhuc inueniri potuit, qui à maiori ciuitate in minorem transire studuerit, & improbitas appellatur studiũ ascendẽdi ad maiorem Cathedram. & aliud Can. 6. Procurare debent in ijs vrbibus constituere Episcopos, vbi etiam prius Episcopi fuerunt; quod videtur ineptum; quid enim de primis dicendum? nam primus non potest inuenire alium ante se constitutum. Can. 9. habetur vt qui Romam eunt litteras quas deferunt debent Iulio Papæ præbere, vt is eas examinet. Si Canon erat futurus generalis & perpetuus pro omnibus Pontificibus cur solius Iulii mentionem facit? Can. 7. de Canalio non implet aures meas: nam poni speculatores ad recognoscendos Episcopos euntes & redeuntes videtur indecorum. Præterea facilè poterant Episcopi extra Canalium incedere, & viam illam publicam vitare. Aqua hæret iste Canalius, vel Canalis. Mitto alia. Tantum animaduerto, Pœnas in nonnullis Canonibus pro culpis impositas, non esse congruentes cùm sint multo quàm crimina grauiores. Atque vt aliquid certum afferam. in. 1 Can. ambiens maiorem Episcopatum punitur priuatione etiam laicæ communionis, quæ certè grauissima pæna erat, & multò acerbior quam pro illa ambitione. Ecquis enim est qui maiorem Episcopatum non ambiat, & desideret; idque minime à ratione alienum videtur. Itaque excusandum potiusquàm puniendum.

Vltima petitur à Præside incerto & dubio: quod anceps etiam, & dubium reddit Concilium, Cuius quis præses fuerit ambigitur. Baronius anno 347. ex Athanasio ait fuisse duos Legatos Sedis Apostolicæ Archi-

damnm, & Philoxenum. De Osio nihil deliberat in medio relinquit: Patronum tamen Synodi ipsum appellat, quod perinde est ac Præsidem dicere. Seuerinus Binius Archidamo, & Philoxeno id munus assignat, auctore Athanasio, quem laudat, Osio tamen demandatas fuisse partes Patroni affirmat. Idem ferme quod Baronius tradit, sed minus aliquanto quam Baronius Osio tribuit. Pater Lupi in notis c. 2. non dubitat Osium Legatum statuere cum Archidamo, & Philoxeno presbyteris, & Leone diacono, Verum ex antiquis Hincmarus Epist. 33. c. 24. contra Hincmarum Laudunensem Episcopum adiungit Vincentium Capuanum, & Calepodium Neapolitanum. Gratianus c. 11. d. 16. omissis Archidamo, & Philoxeno ponit Osium, Vincentium Capuanum, Ianuarium Beneuentanum, & Calepodium Neapolitanum: Quem ob id reprehendit Baronius; & Binius proxime nominatus. Glossa in illum Canonem Gratiani affirmat Anselmum assentiri Gratiano; ipse vero excludit Ianuarium, quia non nominatur Episcopus in Codice Canonum admittit Vincentium Capuanum, & Calepodium. Omnia in isto Concilio turbantur, & turbant legentes. Sed de his hactenus.

Qui hanc ratiocinationem lentè, ac maturè expendat his momentis auctoritatis, argumentis, coniecturis munitam, non dubito quin excuset Augustinum, & Patres Africanos inficiantes hanc Synodum Sardicensem vniuersalem Catholicorum, cùm præsertim eo tempore non esset recepta, nec celebrata, nec à Concilijs, nec à summis Pontificibus, nec à Patribus, nec à Scriptoribus Ecclesiasticis;

quemad-

quemadmodum decursu temporis euenit. Idque mihi satis est monstrasse, vt Augustinum liberarem, eiusque fidem adstruerem. Verùm quoniam consequens est ex illius sententia affirmantis vnum solum ac Hæreticorum fuisse Concilium negare Sardicensem illam Synodum Catholicorum, nec hoc quidem verebor dicere, verisimilem esse effectam meis argumentationibus hanc sententiam: non quòd ego eam amplectar, qui communem probo, & sequor, sed quòd altera non careat probabilitate, quæ non aufertur per illam consensionem scriptorum, cui opponuntur ea quæ adduximus fundamenta. Ac ne tergiuersari videamur afferamus communis sententiæ statuentis Sardicensem Catholicorum generale Concilium argumenta, & videamus an ijs possit aliquo modo responderi.



## Caput IV.

*Afferuntur argumenta, quæ oppugnant probabilitatem sententiæ Augustini ab auctoritate Pontificum, Conciliorum, Patrum, scriptorum, & communi consensu deprompta. Soluuntur. Ostenditur nihil esse timendum sententiæ S. Augustini: cuius probabilitas roboratur.*

PRimùm multa Concilia generalia Concilium hoc Sardicense agnoscunt, & fatentur.

Constantinopolitanum primum, de quo id affirmat Florentinum. Chalcedonense ad finem in allocutione ad Martianum Imperatorem in editione Biniana pag. 133. his verbis. *Illi quidem qui apud Sardicã conuenerũt contra reliquias Arianorũ Orietalibus direxerunt sui constituta iudicii.* Octaua Synodus in qua Zacharias Episcopus Chalcedonensis [erat Metrophanes Smyrnensis] affirmat Marcellum fuisse absolutum, & receptum à Iulio Papa, & Synodo Sardicensi 300. Episcoporum. Florentinum. ses. 7. pag. 427. eiusdem editionis. *Conuentum etiam Sardensem Occidentalem postea nuncupatum Constantini temporibus celebratum Synodus secunda suscepit. Ad quem cum 70. Patres Orientalis Ecclesiæ conuenissent, in ipsum intrare noluerant, quod Patres Occidentales Paulum, & Athanasium excludere noluerunt, qui quidem Patres Nicenæ tum Synodi gesta ab omnibus Christianis coli debere decreuerunt. Quod quidem decretum secunda deinde synodus sine vlla controuersia confirmauit.*

Hæc Concilia prius numeraui, quia sunt legitima,

& vniuersalia, & cum capite summo Pontifice coniuncta.

Venio nunc ad Pontifices Romanos. Iulius primus confirmauit acta Sardicensis Concilij: constat ex ipsamet Epistola prima, quæ habetur in editione Parisiensi pag. 4. & Athanasio plerisque in locis. Socrate lib. 2. c. 16. Sozomeno lib. 3. & Nicephoro, alijsque compluribus. Alii Liberius apud Theodoretũ in colloquio cum Constantio. Leo quartus d. 20. Can. de libellis. Epistola ad Episcopos Britanniæ. Nicolaus primus Epist. 4. in causa Rotardi, & in Epistola ad clerum Constantinopolitanum.

Decretum sacrorum Canonum idem habet c. 11. d. 16. & c. 9. d. 65. & c. 1. d. 71. quibus duobus in locis ponuntur Canones Osiani Sardicenses.

Iustinianus Imperator in Edicto de tribus capitulis vbi anathematizati sunt à Damaso ab vniuersali Sardicensi Synodo, pro vt testatur S. Athanasius.

Ex Conciliis Prouincialibus Concilium Carthaginense primum Can. 5. in quo Gratus Carthaginensis Primas allegat Decretum Concilij Sardicensis. Ex Patribus Athanasius in Apologia secunda, & Epistola ad Solitarios, ex Epistola ad Eccles. Antioch. Hilarius in Synodorum fragmentis. Basilius ad Nazianzenum Epist. 10. & ad Athanasium Epist. 51. Epiphanius hæresi. 71. Vigilius Tridentinus lib. 5. adiungo Ioannem Scolasticum Patriarcham Constanopolotanum deiecto Eutychio suffectum in sua Collectione Canonum.

Ex Scriptoribus Ecclesiastici penè omnes. Socrates lib. 2. c. 16. ex sequentibus Theodoretus lib. 2. c. 2. Sozomenus lib. 3. c. 10. & sequenti. Nice-

phorus

phorus, Baronius ad ann. 347. Spondanus ibi, & reliqui compilatores Baronii. Binius iu notis, & Crabe in suis annotationibus, & omnes ferme chronologi ad eum annum siue 348. vti quisque de tempore opinatur. Mitto eruditos Viros Lupum, & Norim, & alios recentioris memoriæ, qui plurimi recensentur.

Respondeo mè fateri communem hanc esse auctorum sententiam, & receptam. Primò igitur animaduerto quæstionem in facto versari, & quidem puro, non autem cum iure & doctrina mixto; scio enim esse quæstiones nonnullas de facto, quæ vel de fide sunt, vel cum fide coniunctæ, qua de re olim scripsimus Romæ in qualificatione S. Officii de Mandato Eminentissimorum Patrum accuratissimam tractatum, cuius autographum interiit; est autem antigraphum apud Eminentissimum Cardinalem Othobonum verum, & viuum Ecclesiasticæ doctrinà Oraculum, in quo distinximus tria genera, facti; Fidei, mixti cum Fide, & facti puri, adductis exemplis, Nam Historiæ sacræ in Bibliis contentæ versantur in facto, & omnes sunt de Fide: quas negare impium erit. Deinde traditiones Ecclesiæ sunt de facto, sed coniunctæ cum Fide, vti Episcopatus Petri Romæ; institutio Quadragesimæ, & similia. Tandem sunt alia facta pura, vti Donatio Constantini, & Baptismus eiusdem in principio vitæ, vel in fine. Igitur de hoc genere quæstionum, quæ consistunt in puro facto licitum est citra periculum fidei disputare. Eiusmodi esse hanc, quam excitamus de Sardicensi Concilio patet; quia congregatum esse hoc Concilium, vel non esse congregatum; Catholicorum fuisse,

vel

vel non ? facti puri res est. Nam nullum mysterium fidei in eo inuoluitur, sicuti in Concilio Niceno, & alijs Concilijs generalibus, quæ sine fidei periculo negari non possunt. Vnde S. Gregorius Papa quatuor illa prima Concilia Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense quatuor Euangelia appellabat; in ijs quippe fuerunt declarata multa mysteria Fidei, & Capitales Hæresiarchæ condemnati: cùm in Concilio Sardicensi nulla fidei definitio, vel professio facta fuerit auctore Patre Lupi, quo cum litigamus. Nec opponas negari Canones spectantes ad ius appellationis, quia hi Canones minime negantur, imò nobiliores esse dicuntur, vt pote qui sint Niceni, vti suo loco probabimus. Prætereà ius appellandi ad Sedem Romanam non fundatur in Canonibus, siue Nicenis, siue Sardicensibus, sed in altioribus principijs nempe iuris diuini, & statuti à Christo Domino, & connexi cum Clauibus Petri. Itaque nihil est periculi in Canonibus, siue mutentur, si quidem mutantur in melius; siue prætereantur, si quidem melius fundamentum in Clauibus afferimus ad ius appellandi instituendum, & confirmandum. Hinc sumitur prima responsio, & si negaretur istud Concilium, & eius Canones auferrentur, nihil periculosum in fide incurri, quoniam versatur quæstio in puro facto. Specialiter vero contra Patrem Lupum argumentor, & in eum obiectionem istam retorqueo. Ille vt supra dixi, affirmat Theodosium Maiorem

ſine interuentu Damaſi Papæ conuocaſſe Concilium, & tamen iſta ſententia noua eſt, & contra communem doctrinam Pontificum, Conciliorum, & Patrum adeo vt, quemadmodum ſupra diximus, eam notarit grauiſſime Seuerinus Binius, cuius verba produximus. Si ergo illa ſua opinatio ſuſtinetur, poterit etiã ſtare iſta ſẽtentia negans Concilium Sardicenſe, vnde nihil ſequitur contra Catholicam religionem, & nequit vlla ratione improbari.

Secunda reſponſio ſit: à nobis non negari neque Concilium Sardicenſe, neque Canones illius, ſed tantùm affirmari probabilem eſſe oppoſitam ſententiam, quam ſuadent argumenta, & coniecturæ proximo capite adductæ; neque deſtituitur auctoribus, cùm Auguſtinus, & Patres Concilij Africani Sexti in ea fuerint. Quo ad Canones verò, non eſſe illos Sardicenſes, ſed Nicenos multi Romani Pontifices tradiderunt. Innocentius primus, Zozimus, Bonifacius, Cæleſtinus, & Leo Magnus, & alii, qui Canones illos, vulgo Sardicenſes, appellant Nicenos. Idque nos poſteà in ſpeciali capitulo ad id inſtituto demonſtrabimus.

Tertia reſponſio eſto ex coniectura ſumpta ex Silentio Patrum Africanorum, & Ruffini qui perſequens hiſtoriam Euſebii lib. 10. nullam mẽtionem facit huius Concilij Sardicenſis, quæ quamquam nitatur argumẽto negatiuo, non nihil ponderis habere videtur ad coniecturam formandam pro parte negatiua.

Quarta reſponſio ſit: non negari prorſus iſtud Concilium, ſed diſtingui inter illud congregatum, & confectum. Fatemur quidem congregatum fuiſſe iſtud Concilium Sardicæ, & Patres tum Occidenta-

les, tum Orientales, tum Catholicos, tum Hæreticos in eo conueniſſe. Negamus tamen eos conſenſiſſe, & conspiraſſe interſe concorditer, ita vt Concilium conficeretur; nam id fieri non licuit propter turbas, & ſeditiones motas, & concitatas ab Epiſcopis Arianis potentiſsimis, & inſolentiſſimis, qui ſe ſe oppoſuerunt Epiſcopis Catholicis, & Sanctis eorum conatibus Tribunitio more interceſſerunt, quemadmodum ſuperius Bellarminus iudicauit, dcensfuiſsevnum Concilium partim approbatũ, partim rep robatũ, quia turbulentũ, & ſeditioſum. Vnde factum vt Catholici nihil ſtatuerint circa ea, quæ ſibi agenda propoſuerant, vti ſupra monſtrauimus, & hæretici audaciores, & impudentiores decreta ſua deculanter condiderint, & ſcriptis mandauerint, & euulgauerint, quæ cum in Africam perueniſſent turbarunt eam Eccleſiam, & Donatiſtas animorum, & ſpei implerunt: abvtentes iis decretis tanquam Concilii Catholici: quibus neceſſe fuit obuiare Auguſtinum, & Patres Africanos.

Vltima reſponſio huiuſmodi eſt: meas partes eſse liberare Auguſtinum à calumnia, quod quidem facile obtineo: dicendo Auguſtinum eo tempore non habuiſse contra ſe auctoritatem eorum Pontificum, & Conciliorum, & Patrum quos antea commemorauimus; itaque non diſcrepabat à communi conſenſu doctorum, ac proinde innocenter ſe ſe habebat, imo & prudenter iudicabat, quod quidem ſatis eſt ad meam ſententiam ſuſtinendam, & Auguſtinum ab omni macula, & nota ignominiæ vindicandum. Hæc omnia ſi diligenter attendantur, & maturè conſiderentur, nihil erit quod impediat quò

minus liberè currat probabilitas sententiæ negantis Sardicense Catholicorum Concilium, & Canones in eo factos, vulgò dictos Sardicenses.

## Caput V.

*Deletur macula a P. Lupo afficta Augustino, & Patribus Africanis de dissensione ab Ecclesia Romana super appellationibus. Ostenditur vsus appellandi antiquissimus Africanæ Ecclesiæ ad Romanam multis testimonijs Cypriani, & Augustini, eũque fuisse continuatum tempore Augustini & deinceps alijs eiusdem testimonijs mostrantur. Expeditur Canon Concilij Mileuitani, & nihil obesse huic doctrinæ de consuetudine appellandi palam fit.*

HAC dere P. Lupi Epistola ad Lectorem: *Ex Sardicensium Canonum ignorantia non solus S. Augustinus, sed & cum plena Africana Synodo Carthaginensium Archiepiscopus Aurelius incurrit quinti Niceni denium intellectum, longamque illam, & miserabilem de Romanis Appellationibus, atque Euocationibus contentionem sub Zosimo Pontifice cœptam, & prius sub Bonifacio secundo extinctam*. Tria hic mihi sunt agenda. Primum ostendere nullam, ne dum miserabilem, contentionem Africanorum Patrum cum Romana Ecclesia de iure Appellandi ad Sedem Apostolicam fuisse. Secundum monstrare, nihil prorsus in eo Concilio peccasse Patres Africanos, sed innocenter

ac prudenter se gessisse, imo si quid minus conueniens actum fuit id potius à Romanis Legatis quàm à Patribus Africanis prouenisse. Tertium probare illos Canones prolatos à Legatis Romanis Nicenos, non Sardicenses esse, quemadmodum affirmauerant, & postea affirmarunt Pontifices Romani. Accuratè sunt ista tractanda, quia Lupi sententia videtur redolere nescio quid minus Orthodoxum, & fauere aliquo modo Heterodoxis in vsum suum vertentibus acta huius Concilij: ex quibus Marcus Antonius de Dominis lib. 4. de Repu. Eccles. c. 8. n. 28. *Africana* inquit, *Ecclesia Romano Papatui vehementer restitit tempore Augustini, etiam ipso cum reliquis aduersus Papatum reclamante*; quæ mera impostura est. Quam per summam impudentiam Heterodoxi Augustino, & Africanis Patribus impingunt. Egimus nos aliàs de ista controuersia perspicuè, & latè in nostro tomo Assertor Romanus, siue Medulla Hist. Eccles. verum pro re pauca hic sunt dicenda. Primùm miror P. Lupi, & aliquos ante ipsum Catholicos auctores arbitrari hoc in Concilio sexto Carthaginensi de Iure Appellandi fuisse disceptatum. Turbarunt hunc fontem Hæretici, vnde nostri aqua hæserunt, & in salebras inciderunt metu nequid lateret suspicionis. Adeo verum: Est peior bello timor ipse belli; Et vt sacratius dicam: Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Nihil erat timendum, vbi omnia tuta erãt. Verum amor Sedis Apostolicę excusandus. Amor res est plena timoris, & sibi sæpè fingit pericula præ affectu nequid mali

accidat rei amatæ; quadrat in hunc locum, *timor quem timebam euenit mihi* . Nihil erat timendum Catholicis præter timorem ; omnia tuta timuerunt . Dico perſpicuè: nulla hic dubitatio fuit de Iure Appellandi ad Sedem Apoſtolicam, nec eſſe potuit apud homines cordatos, cum Ius Appellandi ſit naturale, & diuinum ad tuendum Ius proprium, & ad iniuriam repellendam:ac propterea Canones Eccleſiaſtici , & leges ciuiles de Appellationibus id omnino definiunt . Speciatim verò Ius Pontificium multò clarius de re hac ſtatuit, cùm nitatur,& fundetur in Primatu Sedis Apoſtolicæ, quemadmodum nos in eo libro oſtendimus , quæ doctrina vſu antiquiſſimo probatur . Qui legat Decretum ſecunda parte cauſa 2. quæſt. 6. reperiet hanc doctrinã inter Canones Anacleti , Sixti , Victoris , Zephyrini , Marcelli , & aliorum ante Zoſimum, quo Pontifice cæpta eſt agitari huiuſmodi cauſa appellationis Patrum Africanorum , quam vix quiſquam eorum qui illud Concilium notis illuſtrarunt, animaduertit non fuiſse de Iure Appellandi , ſed de modo appellandi dubio , an eſset iuſtus , & licitus , quæ diſceptatio ſemper extitit , & hodie exercetur inter Canonicos, & Ciuiles doctores . Conſtat enim apud omnes ſi iuſta ſit appellandi cauſa , licere omnino appellare , ſecus ſi iniuſta . De cauſarum itaque iuſtitia dubitatur : non de Iure Appellandi . Ac multi de hac controuerſia Canones ſũt in eo loco Decreti a nobis proxime laudato . Legat qui volet eum titulum: abũdabit exemplis . Quorum non pauca eiuſdem Eccleſiæ Africanæ afferre operæ pretium duco , eaque ex ſcriptis Cypriani, quem nobis aduerſari blate-

rant

rant Hæretici, vt eorum oculos configam.

Omisso Concilio Romano in causa Cæciliani, quòd ea commissa fuit à Constantino quamquam inuito à Donatistis interpellato Papæ Melchiadi, & alijs Episcopis, de quo Optatus Mileuitanus lib 1. Con. Parmen. & August. Epist. 152. & 162. & alijs partim antiquioribus, partim recentioribus euentis: venio ad Cyprianum. Is in Epistola ad Cornelium Papam, quæ habetur in 1. tom. Concil. Crabe, & Binij (nam hi sunt apud me auctores) 2. & 8. inter alias ad Cornelium, siue 55. in noua edit. narrat eidem Cornelio, accepisse se ab eo litteras de expulsione ab Ecclesia Romana Felicissimi, qui condemnatus Carthagine ab Episcoporum Africanorum Concilio cumquinque socijs confugerat Romam, quos ibi nominat Cyprianus, & morem illum appellandi ad Romanam Sedem commemorat adducto exemplo Hæreticorum. *Qui audent ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem vnde vnitas Sacerdotalis exorta est à Schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo teste laudata est ad quos perfidia nō potest habere accessū.* Hic Cyprianus fatetur Primatum & auctoritatem, nec inficiatur ius. Tantum vituperat causam, & modum, & audaciam appellantium, & improbat auctores eius appellationis, qui erant Schismatici, & profani, *Quæ autem*, inquit, *causa veniendi, & Pseudo Episcoporum contra Episcopos factum nunciandi*. In causa momentum est, non in titulo & Iure Appellandi. Si enim hoc nullum esset in Pontifice facile se Cyprianus ab ea controuersia explicaret, negando licere aditum ad Pontificem Romanum. Confirmatur hæc doctrina vltimis eiusdem Epistolæ 55. noua edit. verbis. *si cum precibus, & satisfactionibus ve-*

*riunt audiantur, si maledicta, & minas ingerunt respuantur.* Quid manifestius? En Cyprianus ius Appellandi Romam agnouit, causam tamen siue prætextum iniustum reiecit; & de eo queritur improbans audaciam & impudentiam Felicissimi, tum fugientis iudicia Synodalia, tum ea Romæ incusantis, tum falsis criminationibus & imposturis Romani Pontificis aures onerantis, vt habetur in eadem Epistola; quemadmodum etiam queritur de Nouato homine factioso, turbulento, facinoroso Epist. 6. ad eundem Cornelium, quæ est 44. in edit. Pamelij Romæ atrocia, & dicentem, & patrantem, quæ est inserta in Concilijs tempore Cornelij: rursum constat ex Epistola 10. siue 42. noua edit. ad eundem Cornelium acta super Felicissimo missa fuisse Romam à Collegis Episcopis, quod quid est nisi fateri summam iudicij potestatem apud Romanum Pontificem esse? Verba Cypriani sunt: *Quantum vero hic ad presbyterorum quorundam, & Felicissimi causam pertinet, quid hic actum sit vt scire posses litteras à te Collegæ nostri manu sua ubscriptas miserunt.* Quo iure nisi appellationis, quod exigebat notitiam causæ ad videndum iure ne, an iniuria appellatum? Adijcio aliud testimonium Cypriani Epist. 8. lib. 4. Epist. siue 45. apud Pamel. ibi contentum, exemplum iudiciariæ potestatis supremæ expressum, *Legi litteras tuas in quibus te comperi motum, quodcum de Adrumetina Colonia Polycarpi nomine ad te litteræ dirigerentur, posteà quàm nos, & Liberalis in eundem locum venissemus cæpissent illuc ad presbyteros & diaconos litteræ dirigi: quod scire te volumus, & pro certo credere nulla leuitate, aut contumelia factum. Sed cùm statuissemus quam plures, quòd in vnum conueneramus, vt legatis ad vos Coepiscopis nostris Calydonio, & Fortunato missis omnia interim integra suspenderentur, donec ab*

*ijsdem*

*iisdem Collegæ nostri rebus illic aut ad pacem redactis, aut pro veritate compertis redirent.* Hæc rem prorsus continent. Ius dicit in Africa Cornelius: queritur quod se causam suscipiente Episcopi se interponant. Reddit rationem Cyprianus excusando Romanam legationem, & affirmando nihil aut leuiter, aut contumeliosè factum: nihil decretum, sed tantum suspensam deliberationem donec certiora Roma afferrentur. Quin ipsemet Cyprianus, quod aliàs notauimus, tam fuit obseruans huius auctoritatis Apostolicæ, vt antea vacante sede per mortem Fabiani Clero Romano in eius locum substituto rationem reddiderit tanquam inferior, quod diligenter notandum. Sic igitur Cyprianus Epistola ad Clerum Romanum, quæ in volumine, quo vtor antiquo est 5. lib. 3. & inuenitur in collectione Binij *Quoniam comperi fratres carissimi minus simpliciter, & minus fideliter vobis renunciari quæ hic à nobis gesta sunt, & geruntur, necessarium duxi has ad vos litteras facere, quibus actus nostri & disciplinæ diligentiæ ratio redderetur.* An non hoc est subiecti & inferioris ad superiorem, imo & iudicem? Ita intellexit Clerus Romanus admiratus modestiam Cypriani cum ei ita respondit: *Geminata sunt laude condigni qui cum conscientiam suam sciant soli Deo debere se iudicé, actus tamen suos desiderant & ab ipsis fratribus comprobari. Quod te Frater Cypriane facere non mirum est, qui pro tua verecundia & ingenita industria consiliorum tuorum nos non tam iudices voluisti, quàm participes inueniri.* Deprecando modestè titulum iudicum significant mentem Cypriani eos iudices habere volentis. Sed quoniam hi loci Cypriani difficiles esse videntur, nec satis conuincunt obstinationem aduersariorum

producam vnum Augustini manifestum pro ista vetusta consuetudine appellandi in Ecclesia Africana ante istam controuersiam sexti Concilij. Igitur Augustinus Epist. 262. ait loquens in causa appellationis Antonij Fussalensis Episcopi. *Existat exemplo, ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliorum iudicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.* Hæc verba perspicuè, continent antiquum morem iudicandi causas Africanorum Episcoporum à Sede Apostolica. Ponderentur illa verba. *Existat exemplo*, & illa *vt à nostris temporibus remotissima non requiram*; ergo erant *recentia memorabo* quæ continent etiam antiquissima exempla potuisse commemorari. Quem ego locum inuictum existimo. Breuior hic sum quòd infrà hoc testimonium Augustini lentiùs ponderabo. Quid hic Heterodoxi quid Orthodoxi, qui de Cypriano ambigunt, & de iure appellandi inter Africanos Patres minus comperto queruntur? Norint vtrique inconcussum & indubitatum fuisse in Ecclesia Africana ius appellandi ad Sedem Apostolicam Romanam, nec aut ab illis quidquam turbandum, nec ab his timendum. Suffragetur Cornelius Cypriano Episcopo eius nimirum æquali. Is igitur Epistola 2. ad Ruffum Coepiscopum Orientalem posita inter Concilia. *Nullus Sacerdotum causam suam alieno committat iudicio, nisi ad Sedem Apostolicam fuerit appellatum.*

Idoneum argumentum huiusce iuris appellandi sumitur ex ipsismet Hæreticis & Schismaticis ex Africa Romam appellantibus: nam ipsi recognoscebant in Romano Pontifice supremam auctoritatem, quemadmodum hactenus ostendimus, & posteà monstrauit

Cælestius, qui cum vidiſſet ſe in duobus Africanis Concilijs Carthaginienſi, & Mileuitano condemnatum Romam appellauit, eòque ſe contulit, vt Innocentio mortuo ad Zoſimum prouocaret: quem nemo Epiſcoporum vetuit eò deferre cauſam, imo & publico nomine aduerſus eum Paulinum Diaconum miſerunt teſte Auguſtino lib. 2. de Pecc. Orig. c. 7. qui latam ſententiam ſuſtineret: qua de re iterum S. Auguſtinus Epiſt. 92. 94. & lib. 2. ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelag. c. 3. & 4. Iuuat exemplum Pelagij qui ad Innocentium per litteras etiam appellauit, teſte Auguſtino lib. 2. de Pecc. Orig. c. 1. & 21.

Inter cæteras appellationes famoſa fuit Zoſimo Pontifice appellatio Apiarij, qui cum presbyter eſſet Eccleſiæ Siccenſis, cuius Epiſcopus erat Vrbanus ob atrocia quæ commiſerat flagitia excommunicari, & relegari meruerat. Hic ergo videns ſe communi Patrum ſententia condemnatum Romam ad Zoſimum Pontificem appellauit, eo ſucceſſu, vt compos voti factus fuerit: obtinuit quippe vt Zoſymus mitteret Legatos cum mandatis, & litteris ad Patres Africanos, qui de re inquirerent & acta recognoſcerent, & recognita ad ſe referrent. Quod illi præſtiterunt, & cum Romam rediſſent mortuo Zoſimo Pontifice, ſucceſſori geſtorum rationem reddiderunt: à quo iterum re miſſi in Africam cum Commonitorio, in quo erant quatuor mandata. *Vnum de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem. Secundum ne ad Comitatum Epiſcopi importune nauigent.* Tertium *de tractandis presbyterorum, & Diaconorum cauſis apud finitimos Epiſcopos. Quartum de Vrbano excommunicando, vel etiam Romam euocando, niſi ea quæ videbantur corrigenda, corrigeret.* Hæc ſunt in Epiſtola Concilij Africa-

ni ad Bonifacium primum ſcripta ponitur poſt illud Concilium apud Binium pag. 644. Legati autem erant tres Fauſtinus Epiſcopus Potentinus, & Philippus, & Aſellus Presbyteri: ea propter coactum fuit Africanum Concilium quod ſextum Carthaginienſe vulgò habetur anno 419.

Prætereà multæ aliæ factæ ſunt in Africa appellationes Romam; quas Auguſtinus ſignificat Epiſt. 262. *Priſci, Victoris, Laurentij*, quas obiter commemorat occaſione accepta celeberimæ appellationis Antonij Fuſſalenſis Epiſcopi quondam Auguſtini monachi, quem multorum criminum accuſatum, & conuictum, & munere Epiſcopali priuatum inceſſit libido Romam appellandi ad Bonifacium Pontificem bona cum venia Patrum, cùm eum Primas ipſe Prouinciæ referente Auguſtino Bonifacio Papæ commendaſſet. Quæ item cauſa defuncto Bonifacio ad Cæleſtinum ſucceſſorem deuenit, quemadmodum narrat Auguſtinus in eadem Epiſt. 262. Solemne autem fuiſſe appellari ab Africanis Romam conſtat ex Auguſtino ibidem *Exſtant*, inquit, *exemplo ipſa Sede Apoſtolica iudicante, vel aliorum iudicata firmante quoſdam pro culpis quibuſdam nec Epiſcopali ſpoliatos honore nec relictos omnimodis impunitos. Quæ vt a noſtris temporibus remotiſſima non requiram recentia memorabo* Memorat autem Priſci Prouinciæ Cæſarienſis Epiſcopi, Victoris; Laurentij Epiſcoporum: idcirco vero hæc adduxit exempla, vt hortetur Cæleſtinum, cui ſcribit ad manſuetudinem, & lenitatem. Et quidem in hac appellatione Antonij Fuſſalenſis Epiſcopi magnum eſt momentum ad probandum idquod ſumimus de vſu appellandi in Eccleſia Africana ad Pontificem Romanum. Itaque illius memoriam ſæpius refricabimus.

Hæc omnino persuadent Ecclesiam Africanam non solum agnouisse ius appellandi ad Romanum Pontificem, sed etiam vsu illud approbasse, cum toties ad illam appellarit. Et quamquam videbatur obstare Canon 22. Concilij Mileuitani, qui iam fuerat conditus à Synodo Carthaginiensi, estque 17. & habetur in c. *Placuit*. 2. q. 6. vbi ponitur in titulo ex Concilio Mileuitano c. 22. & ad Marginem & Africani c. 92. ( quem numerum mendosum puto ) nil tamen obstat nostræ doctrinæ, quia ille Canon tantùm loquitur de Clericis inferioribus Episcopis, non autem de Episcopis, quibus semper licuit Romam appellare, quemadmodum colligitur ex Augustino Epist. 162. de Cæcilian. & ipsius Collegis: *Nec enim inquit, aut de presbyteris, aut diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum iudicio, præsertim Apostolicorum Ecclesiarum causam suam integram reseruare*: vbi Augustinus agnoscit Canonem laudatum Concilij Mileuitani: quod accuratè obseruandum est vt retundantur obiectiones Hæreticorum ex facto Apiarij argumentantium non licuisse Episcopis Africanæ Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam appellare, cùm ex dictis appareat semper in ea Ecclesia viguisse illam consuetudinem appellandi.

# Caput VI.

*Augustinũ & Patres Africanos nunquam dubitasse de iure appellandi, sed de causis, & modis appellationum. Distinguitur inter ius, & vsum, & abusum appellandi. Probatur Ecclesiam Africanam omnino cum reliqua Ecclesia Catholica consensisse. Proferuntur exempla tribunalium, & religionum quibus non licet in multis euentibus ad Sedem Apostolicam appellare.*

NVnc ad institutum. Controuersiæ quæ ortæ sunt super appellationibus non fuerunt de Iure, nec de vsu, sed de modo, & ratione appellandi, in quo nihil nouum introduxerunt Patres Africani: nam etiam in reliqua Ecclesia non licet in omni euentu, & quomodolibet ad Sedem Apostolicam appellare; videlicet si causa non subest appellandi, & si est iniusta appellatio, à quocunque demum fiat, vti continetur in titulo de Appellationibus. Verum obijciet quispiam Africanum illum Canonem proxime adductum Concilij Mileuitani. Respondet Gratianus in c. Placuit 2. q 6. exponendo ly *Ad Transmarina*, itaut non comprehendat Sedem Apostolicam. *Nisi forte*, inquit, *ad Romanam Sedem appellauerint*. Nec improbabiliter, cum *Transmarina iudicia* ad Imperatores & Comitatum fieri à Donatistis solerent. Verùm non videtur iusta hæc Gratiani exceptio. Nam Canon loquitur vniuersim de omni appellatione *ad Transmarina*, quæ vox comprehendit Sedem Romanam.

nam. Positiui isti Theologi qui farragines locorum afferunt ad ostentationem eruditionis, nosque Scholasticos contemnunt, nihil hic dicunt intra cancellos Canonum, & facti conclusi, non audentes ad causas & iura prodire, & in acie cum Hæreticis dimicare, quibus factorum & Canonum narratio, & positio arridet, & ius, & ratio argumentandi displicet. Vtrique euentis rem pendunt, nec causas inquirunt, quas nostri Scholastici diligenter inuestigant vt soluant difficultates occurrentes quibus cum ego sentio. *Mouent* quippe *me magis* vt sapienter ait Tullius ad Atticum *causæ euentorum, quàm ipsa euenta*. Attendenda igitur est, sicuti in legibus mens Legislatorum, ita & in Canonibus mens Patrum, non vox, quando hæc ambigua est: vti fecit Gratianus, quam vis eam minus bene intellexerit, & minus aptè interpretatus fuerit; saltem vidit difficultatem, & conatus est tollere. At positiui isti contenti baiulare Canones non curant exponere. Hærent in facto Apiarij, sicut Polypi saxo, nec saxum abijciunt, vt enatent. Nos verò respondemus. Primum Canonem illum esse intelligendum nisi interueniat iusta causa, quæ rarò contigere poterat in Clericis cum tot haberent superiores in Ordinarijs, & Metropolitanis ad quos recurrendum erat. Nam finis textus fuit auferre frequentes, & leues, & temerarias appellationes, quibus datur occasio aditu facili; & aperto ad appellandum Romam. Hac enim porta patefacta, & data omnibus, veluti venti impetu facto ruerent, & tempestates in Ecclesia excitarent. At si ius erat & necessitas appellandi non prohibebat Canon appellationem cùm iusta causa interueniret, quæ ad ius naturale appellandi pertinebat: quare ille Canon nihil derogat

iuri

iuri appellandi, sed prudenter illud dirigit, & moderatur nequis illius vsum in abusum vertat. Audiamus hic Theologos morales, quos etiam isti Positiui minoris faciunt quàm debent. Nos verò illos plurimi æstimamus, quòd sint doctissimi, & conscientiæ rationem habeant. Laudo vnum haud paulo quàm istos Positiuos meliorem, Thomam Sanchez fama celeberimum. Hic lib. 6. c. 8. in tom. 2. summæ ita scribit.

*Sed superest discutiendum, quid sentiendum sit attentis religionum priuilegijs, extant enim varia de hac re. Bonifacius VIII. statuit non licere fratribus Franciscanis à correctionibus Prælatorum eiusdem ordinis aliquatenus appellare, vt refert Sorbus in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo appellare. num. 1. & Sixtus IV. concessit Augustinianis, & Carmelitanis; vt Generalis eorum possit suum munus obire, reiecta quauis appellatione ab eius præceptis, monitionibus, ordinationibus, & mandatis, ac decretis, vt refert idem Sorbus ibi verbo. Generalis num. 11. & 12. & Iulius II. prohibuit sub pœna excommunicationis fratribus, & Sororibus ordinis Prædicatorum appellare à mandatis, & ordinationibus Præfatorum dicti ordinis, vt refert Sorbus ibid. verb. appellare num. 3. & Paulus III. concessit Societati Iesu, vt non liceat à correctione regulæ secundum ordinationes eius factæ appellare, nec posse per quemuis iudicem appellationem admitti, vt habetur in compendio priuilegiorum Societatis Iesu, verbo appellatio, §. 1. & ibi §. 2. habetur, per priuilegium concessum Canonici, Sancti Saluatoris, nullos è societate Iesu posse appellare ad quemcumque, etiam ad Pontificem, nisi de speciali eius licentia ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Congregationis*

*tionis Generalis, aut Præpositi Generalis, aut aliorum superiorum, & appellationes, & inde sequuta fore irrita; & eodem 5. 2. refertur per priuilegium Cistercensibus concessum non licere appellare in Societate Iesu sub excommunicatione lata ipsi Pontifici reseruata, à reformacionibus, seu correctionibus Præpositi Generalis, aut visitatorum quos ipse deputauerit, nisi à Generali Congregatione, & in casu denegatæ iustitiæ, aut pro notoria iniuria; & Sorbus eo verb. appellare, in suis annotationibus circa 5. 1. refert Gregorium XIII. in quodam motu proprio anno 1575. Quoniam nostro pastorali, inter dixisse sub excommunicatione Pontifici reseruata, & alijs pœnis, fratribus Franciscanis de obseruantia ad secularia tribunalia appellare; concessisse tamen eis appellationem ad Generalem, vel Protectorem, vel Pontificem. Atque similiter refert, Congregationem Cardinalium edidisse decretum anno 1587. vt appellatio hoc ordine interponatur, à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & ab hoc ad Cardinalium Congregationem; & etiam refert hanc appellationem esse permissam à Sixto V. in motu proprio anno 1588. ad Romanum spectat Pontificem.* Pergit autem grauissimus auctor dicere, quæ maxime rem continent. & ad intellectum Canonis Concilij Mileuitanj mirificè videntur facere.

*Quæ quidem priuilegia meritò, ac iure optimo religionibus concessa sunt, ac ab eis appellandi vsus exulauit, maxime ad externos Prælatos, vt ad Nuncium, & Pontificem, vt optime inter cæteros docuit Sotus lib. 5. de iust. q. 6. art. 3. colum. penult. vers. at veros ciscitaris quem sequuntur Cordub. 99. practic. c. 23. num. 6. vers. 8. Aragon. 2. 2. q. 69. art. 3. col. antepenult. & ibi Salon. dub. 2. Sayr. clauis regiæ lib. 12. c. 17. num. 41. & 42. Manuel de ordine iudiciali, c. 13. num. vlt. & 99. regularium tom. 1. q. 29. art. 3. Valent. 2. 2. disput. 5. 9. 13. puncto 3, fin. & Bannezius art. 3. fin. Et ratio est ob bonum, & tranquillitatem,*

*ac honorem religionum, quæ in simplici quadam obedientia consistunt, nec modicum hæc detrimentum patiuntur, quando religiosorum causæ extra priuatos parietes tractantur, ad Iudicesque externos deferuntur; nec creditu facile est fore, vt omnes superiores religiosi ita iniqui sint, vt grauamen alicui illatum non auferant, & si aliquando, quod rarissime continget id accideret, damno huic priuato præponderat pax, ac commune totius religionis bonum, quod religiosi proprio priuato anteponere debent, sicut quilibet ciuis, & si ad vitam adeò perfectam ac religiosi non teneatur, debet priuatum suum bonum communi Reipublicæ postponere.*

Huiusmodi doctrina quandam quasi animam inspirat illi Canoni Mileuitano, vt ea infusa viuat, & proficiat ad institutum de iure, & modo appellandi. Obseruandum autem est Romanos Pontifices nec queri, nec posse queri de illa ratione, & modo procedendi tradito à Sanchez: nam ille nihil detrahit iuri supremo appellandi. Itaque vsu priuari se patiuntur, eumque à iure distinguunt, & ad alios superiores proprios regularium remittunt. Quinimo, quod maxime animaduertendum est, citra priuilegium, ipsa ratio dictat interdum cessare vsum appellandi. Sunt enim qui dicant, & quidem idonei auctores, non posse quemquam ad Papam omisso medio appellare; cuiusmodi sunt Duardus in Exposit. Bulla Cenæ lib. 2. c. 9. q. 37. n. 8. Spatarius in praxi tract. 10. p. 4. c. 1. n. 3. Peirinus de relig. subd. tom 1. q. 1. c. 20. Et Ioannes de S. Maria in tribun. relig. tract. 5. c. 10. §. 1. n. 3. in fine, & alij apud eosdem. Nemo tamen hos auctores reprehendit. Cur ergo Augustinus, & Patres Africani Concilij reprehenduntur? cum nihil detraxerint de iure appellandi, sed tantum modum, & rationem, & causas appellandi exegerint, & facilitatem, & leuitatem in appellando repres-

ſerint. Quemadmodum infra manifeſtius exponemus.

Hæc vero recta eſt ratio Hæreticos refutandi, qua mallem vteretur amicus noſter P. Noris, vir plane eruditus in refellendo Marco Antonio de Dominis: cui tamen ille voluit more poſitiuo reſpondere. In libro enim ſuo. 2. de Hiſt. Pelag. c. 17. verſans hunc ipſum euentum Apiarij inducit hunc apoſtatam ſic arguentem: *Africana*, inquit, *Eccleſia Romano Papatui vehementer reſtitit tempore Auguſtini. Auguſtino etiam ipſo cum reliquis aduerſus Papatum reclamante*. Cui ita reſpondet fouendo argumentum; *Pro Africanis enim ſtabat antiquiſsima conſuetudo, qua nullus Presbyter, Diaconus, aut inferioris ordinis Clericus ad Tranſmarina iudicia vnquam prouocaret: quæ etiam Canone Synodali confirmata fuerat; ignorabant item Africani Canones Sardicenſes*, & cætera quæ aliàs proſequemur, & concludit *Inde ergo orta eſt diſſenſio*. Itaque & confirmat factum conſuetudine, & Canone, & admittit, faterturque diſſenſionem, & conniuere videtur Marco Antonio ex eo facto arguenti ſchiſma, quamquam poſtea hominem egregie refutet, & vtatur exemplo Cleri Siculi è priuilegio Romam non appellantis; quo etiam vtitur P. Lupi vir paris eruditionis. Probo iſta ſequentia. Illa priora non probo de conſuetudine antiquiſſima non appellandi refutando eum exemplo Feliciſſimi, & aliorum, quos ſupra nominaui tempore Cypriani & Innocentij Apoſtolicam Sedem appellantium: nec facienda eſt illa Canonis Africani tam liberalis largitio, & multo minus aduocanda ignorantia Canonum Sardicenſium, quæ fouent cauſam Apoſtatæ, ſed ſtatuendum ius appellationis, & improbandus abuſus illius per cauſam iniuſtam, per

modum ineptum, per conditionem violentam. P. Noris adstipulari voluit sodali suo P. Lupo, qui ante ipsum eandem sententiam secutus fuerat, quamquam illam multo asperiùs proponat, quàm Noris, qui modestè, & reuerenter erga Patres Africanos, & Augustinum se gerit. Audiamus P. Lupi in Notis ad Concilium Sardicense cap. 6. Enumerans æmulos, & hostes, sic appellat, Synodi, & Canonum Sardicensium: *Alter*, inquit, *aduersarius fuit Aurelius, & Synodus Africana, in qua fuit Augustinus*. Et mox *Erat consuetudo rationabilis*. Præit facem Nori, Hanc ego proximè extinxi allatis testimonijs Cypriani, & aliorum, quibus euertitur consuetudo. Verum placet mihi vox *rationabili* in Lupo, quam ille confirmat exemplo Cleri Siculi, qui priuilegium obtinuit ab Adriano quarto, & Innocentio tertio. Quod item affert Noris. Displicet tamen consecutio. Nam si consuetudo rationabilis erat, iusta erat dissensio Aurelij, & Concilij à Sede Romana: igitur non *miserabilis*, quemadmodum dicit Lupus, sed *rationabilis*. Viderit is quomodo & secum, & cum Romana Ecclesia cohæreat? quæ non poterat queri de Ecclesia Africana si ea rationabili consuetudine nitebatur. Ego in rem meam addo alia exempla: nimirum Tribunalium Sancti Officij in Hispania, à quorum supremis ministris moris non est appellari, quemadmodum Simancas in Cath. instit. tit. 6. num. 2. Roxas sing. 19. num. 1. & sequent. Paramus de Orig. Inquisit. lib. 3. q. 41. num. 58. Decianus in tractat. crimin. lib. 5. c. 20. num. 26. Farinac. de Hæres. q. 185. §. 15. num. 227. Tanta nihilominus est

vis

vis iuris Appellandi, vt Hæreticus etiam si non possit appellare à sententia definitiua, possit tamen à grauamine sibi illato ante illam, & sic ab interlocutoria. Ita Paramus lib. 3. q. 4. Carrer. de Hæret. num. 129. Roxas singa 179. num. 2. Pegna in Direct. Inquis. p. 3. comment. 51. Zanch contra Hæret. c. 20. num. 26. Animaduerto autem hæc exempla tum Cleri Siculi, tum Inquisitionis minus esse quàm pro re idonea. Nam ea sunt priuilegia concessa à Romano Pontifice iuri suo cedente: nos autem agimus abstrahendo à cessione Pontificia, spectata ratione, & æquitate naturali, quemadmodum proceditur in Canone Africano.



## Caput VII.

*Ius appellandi ad Papam cum sit ius diuinum cur ad Canones Nicenos relatum? Patres Africanos non proposuisse Canones sed Romanos Legatos qui ansam quæstioni dederunt. Eam fuisse non de iure appellandi, sed de vsu & modo exequendi appellationes. Expenditur Canon 5. alias 7. de appellationibus. Proponuntur modi iniuste appellandi, in quibus versari innocenter potuit disceptatio.*

NIhil magis mirari soleo in hac causa, quàm id quod video mirari, imo ne obseruare quidem, neminem. Videlicet quomodo Pontifices Romani, quorum potestas est immediatè à Christo, cuius pars magna est ius ad se reuocandi causas inferiorum intercedente iusta appellatione, eam non protulerunt in medium, sed ad Canones Ecclesiasticos contulerunt? Videbantur enim eam subijcere Ecclesiastico iuri, quod erat inferius iure diuino, à quo manauerat. Vnde non est mirum si Patres Africani de eo quæstionem instituerunt, & Canones productos examinarunt. In quo certè non sunt culpandi, quando ipsimet Pontifices visi sunt ijs occasionem dubitandi dare. Quare non soleo reprehendere Africanos illos Patres sanctissimos, & doctissimos, & omnium Coryphæum Augustinum de mota in eo Concilio quæstione: Nam ij eam non excitarunt, sed excitandi ansam datam à Romanis Legatis arripue-

puerunt: non quidem vt ait Noris lib. 1. c. 17. ad finem. *desiderio iura sua extendendi*, quod minime de ijs credendum, sed studio veritatis inquirendæ, & tuendæ, vt apparuit ex deliberatione facta de Consilio Augustini, & Alipij, nempe obseruandi Romanum decretum, dum inquirebatur de veritate Canonum prolatorum, in quibus Legati suum ius fundare videbantur. Secus equidem facturos fuisse arbitror, si Legati Romanæ Sedis auctoritatem Pontificiam à Christo acceptam allegassent, & ad potestatem clauium ius illud appellandi, quod exigebant, retulissent. Scholarum ista propria controuersia est, à qua isti positiui scriptores eruditionum baiuli sunt alieni, cum tamen ex eius decisione pendeat contentionis sensus, id circo minus intellectus ab hominibus addictis nudæ facti narrationi. Diu est quod hanc rem agitabam animo, vt dissensiones ortas tum inter Romanos Pontifices, & Patres Africanos olim, & inter nostros Orthodoxos & Heterodoxos scriptores posteà natas omnino tollerem. Primum igitur quærendum est, quid contineatur in eo primo Canone: in hoc enim præcipue laboratur, quòd in eo sit origo, & fons contentionis. Is est Canon 5. in 1. versione & apud Lupum. Septimus vero in duabus alijs Dionysij Exigui, & Isidori Mercatoris, qui Canon huiusmodi est apud Binium. *Can. 5. Placuit vt si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati huius regionis Episcopi eum gradu mouerint, & veluti appellans confugerit ad Beatissimum Romanum Episcopum, & velit ipsum audire, & iustum esse existimauerit, eius rei existimationem reuocari, coepiscopis scribere dignabitur, qui sunt propinqui prouinciæ, vt ipsi diligenter, & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis persuasione de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium*

*rursus audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum iudicare visum fuerit, vt à proprio latere presbyteros mittat, vt sit in potestate Episcopi, quod rectè habere probauerit, & statuerit, oportere eos mitti qui cum Episcopis sint iudicaturi habentes authoritatem eius à quo missi sunt, & hoc ponendum est. Si autem sufficere putauerit ad rei cognitionem, & Episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo eius Consilio rectè habere videbitur. Responderunt Episcopi: Quæ dicta sunt Placuerunt.*

Canon supponit ius appellandi ad Romanum Pontificem, & testatur quod est de iure diuino, nec de eo dubitari potest. Deinde procedit ad iustitiam causæ: ait enim *si iustum putauerit*, quod cadit super decretum Papæ: pertinet enim ad executionem illius, & continet modum eo vtendi. Qui modus multiplex est. Primus vt examinatio causæ Episcopi proximis prouincijs demandetur: vt ipsi singula perscrutentur, & ex veritatis fide ferant sententiam. Secundus si eo modo non succedat absolutio, & is qui non fuerit absolutus velit, rursus audiri, possit Romanus Pontifex Legatos à latere mittere eò, vbi iudicatus fuit reus, qui causam examinent per se, & iudicent. Tertius vt ij Legati coniuncti cum Episcopis simul rem transigant. Quartum est difficile intellectu in Canone 5. sed exponitur in Canone 7. vt ipsimet Episcopi Cõprouinciales terminent causam. Videamus nunc vtrum hic contineatur aliquid de quo dubitari sine detrimento Ponteficæ auctoritatis possit. Versamur enim in quæstione de modo, quem oportet esse iustum *Si iustum esse existimauerit*. Quod iudicium de iusto manet apud Pontificem, qui quod iustum putarit, id præscribat. Et quidem semper iustitia requiritur, sed ea iudicio Papæ committitur vt quod ille iustum fore decernat, id prorsus fiat.

Quòd

Quòd si quid intercurrat iniustum in vsu mandati iusti, id planè non est exequendum, cum sit præter Papæ intentionem iustum præscribentis. Poterat autem iniustum interuenire in omnibus hisce modis. In primo: si Episcopi proximæ Prouinciæ non possent integram habere notitiam rei iustæ, & vellent minus benè perspecta causa iudicare, tunc cessabat obligatio parendi mandato Papæ supponentis iustum modum: quo deficiente nullum erat mandatum. Poterat in secundo, si Legati à latere totum sibi arbitrium iudicandi assumerent reiecto consilio Episcoporum, & violenter se gererent, turba satellitum comitati, & manu armata feroces, quod erat prorsus iniustum, & ab Ecclesiastica professione alienum. Poterat in tertio: si Legati obstrepentibus armis deterrerent Episcopos à ferenda pro libertate sententia, vt eos ad suas partes traherent. Poterat in quarto: si Episcopi obstinatè in primam sententiam irent, nec vellent iudicium suum semel datum retractare. Periculum autem erat abusus delegationis Pontifice absente Romæ, cuius præsentia posset, ac deberet continere ministros delegatos in officio. Hæc autem omnia spectabant ad ius Ecclesiasticum, non ad Diuinum, vnde manabant: adeo vt si quod esset, iniustum, riuis id, non fontibus esset imputandum. His autem modis vitiatis vitiabantur item appellationes, & propter huiusmodi vitia cunctabantur admittere has appellationes Patres Africani, quæ ipsimet Romani Pontifices nouerant, posse intercurrere, & ne acciderent prouidebant. Quemadmodum fecit

Papa Bonifacius apud Augustinum Epist. 262. loquens de appellatione Antonij Fussalensis Episcopi *Pastorali vigilique cautela Beatissimus Papa Bonifacius in Epistola sua posuit de Antonio loquens Episcopo, & ait si ordinem rerum nobis fideliter indicauit*. Et Cælestinus in sua Epist. 2. ad Episcopos Galliæ circa accusationem factam à Prospero, & Hilario de quorundam Semipelagianismo *si ita res est, si ita res sunt* iterata conditione quod Africanum hoc Concilium scribens ad Cælestinum animaduertit. *Ne à sua Prouincia communione suspensi, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur Communioni restitui*. Et rursum: *Quomodo Transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis alijs intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt?* Verùm illud præcipue in isto Canone nouum, & durum visum est Patribus, quod mitterentur Legati à latere ab Vrbe Roma ad cognoscenda, & recognoscenda iudicia Episcoporum. Quod quidem satis grauiter, & dolenter significauit Concilium in eadem Epistola. *Nam vt aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum*; & allegant Canonem illum non fuisse repertum in exemplaribus Alexandrinis, & Constantinopolitanis Cyrillo, & Attico Patriarchis. Cum præsertim ipsi cum fastu, & pompa, & armis, armatisque venirent, de quo Augustinus Epist. 262. scribens ad eundem Cælestinum de appellatione Antonij Fussalensis, quæ iterum in stylum veniet. Turbabat vero eos hic modus, tum quia erat insolitus, tum quia videbatur detrahere iudicibus, perinde ac ij iniustè iudicassent; & forent ij iudicandi à Legatis, tum quia homines noui adueniebant, minus experti, qui difficulter

possent, tam breui tempore de re inquirere, & cognoscere: tum quia arma, & armati satellites violentiæ speciem præseferebant. Quid hic est quod detrahat iuri vel dignitati, vel auctoritati Pontificiæ? Omnia versantur in modo, qui aduenit iuri, non imbibitur in ipso iure. Idem profectò sentiunt Patres Africani cum ipsismet Pontificibus, & sacris Canonibus: nec id aut exprobrando, aut calumniando dicunt, sed precando, & proponendo, ceu inferiores superiori, nihil dubitantes de iure & potestate, sed de vsu & modo, qui interuenire poterat incongruus in exercitio potestatis, & in abusum verti. Ac id obseruandum est maximè, quòd etiam post istam quæstionem de Canonibus Nicenis Patres Africani semper obedierunt, Papis, & in eorum potestate fuerunt, & appellationes non cessarunt, etiam si arma adhiberentur, quemadmodum constat ex illa celeberrima Antonij Fussalensis appellatione, in quà disertè Augustinus armatæ illius potentiæ mentionem facit, & tantùm humillimè rogat Cælestinum, ne velit eius vsum permittere. Epist. 261. *Subueni hominibus*, inquit, *opem tuam in Christi misericordia multò auidius quam ille ponentibus à cuius inquietudine desiderant liberari. Iudicia quippe illis, & publicas potestates, & militares impetus tanquam executores Apostolicæ Sedis sententiam siue ipse, siue rumores creberrimi comminantur, vt miseri homines Christiani Catholici grauiora formident à Catholicis Episcopis, quàm cum essent Heretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant.* Verus ergo, & iustus erat ille timor Patrum Concilij. Sed non ideo destiterunt subditi ab appellando, nec superiores impedierunt appellationes. Audiamus iterum in eadem Epistola Augustinum humiliter, imò & abiectè supplicantem *Ne sinas ista fieri obsecro*

*per Christi sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum præpositos populorum monuit ne violenter dominentur inter fratres*. Mirabilis est hic locus ad probandum nihil in eo Concilio decretum, aut statutum contra ius appellandi ad Sedem Apostolicam: si quidem Augustinus qui in eo fuerat, post illud appellationes admisit, & recognouit, & tantum de modo & abusu questus est submissè postulando, vt vis remoueretur, & moderatio seruaretur. Quo iure igitur accusantur ij Patres de miserabili contentione cùm Romanis Pontificibus, cum ea non fuerit contentio, sed consensio de iure appellandi, & necessaria animaduersio de abusu in exercitio iuris, & potestatis?

Est & alius in Augustino locus geminus huic proximo, qui probat Augustinum appellationes etiam Clericorum Romam missas agnoscere, & approbare. Nam in Epist. 169. scribens Eusebio Episcopo, vt hortetur Proculianum item Episcopum ad corripiendum Primum Subdiaconum Spaniensem corruptis moribus, & perdita fide hominem, à fide Catholica deficientem, interminatur, si nolit sibi morigerari, missurum se Romam, & codices publicos inde missos impetraturum, vnde constet eum in eo iudicio Transmarino fuisse accusatum, & fortè damnatum. Auscultemus Augustinum *Si malefacio*, inquit, *per tuam beneuolentiam ista corrigenda curare, de me nullus queratur, si hæc illi perferre in notitiam per testes publicos fecero, qui mihi negari, vt arbitror, in Romana ciuitate non possunt*. Rem continet hic locus. Constat Romæ esse libellos accusatorios Primi haud dubiè tanquam ad supremum iudicium missos. Constat eum fuisse accusatum, & fortasse damnatum. Constat id fuisse factum sine intercessione, vel obnuntiatione Episcopo-

rum

rum Africanorum. Constat Augustinum illud factum approbare promitendo se impetraturum; quod non promitteret, si illicita illi *codices* continerent. Quem ego locum inuictum existimo ad demonstrandum vsum recurrendi, & appellandi ad iudicia Transmarina, & nominatim Romanam Sedem ab ipsomet Augustino,& à Patribus Africanis qui in sexto Concilio interfuerant probatum,& obseruatum fuisse,atque adeo falsò queri scriptores minus accuratos de illa dissensione, & contentione AfricanæEcclesiæ cum Romana.quam ii comminiscuntur. Hunc locum Augustini, quem diu versaui,sic interpretor. Scio eum aliter intelligi à Louaniensibus:qui in Epistolæ inscriptione de appellatione mittenda Romam ab Augustino intelligunt. Vtcunq;sit mens integra est; eaque vtrouis modo accepta ius & vsus Romam appellandi confirmatur.

Ex dictis manifestè deducitur Patres Africanos in hoc Concilio 6. Carthaginensi minimè disceptasse de iure appellandi, quod est diuinum, sed eo supposito, ac retento, de vsu,& modo; qui ad ius Ecclesiasticum pertinet, quæstionem mouisse; quemadmodum in omni Ecclesia fieri solet, & patet in titulis appellationum,vbi variæ quæstiones ponuntur, quæ tùm à iuris Canonici prudentibus, tum à Theologis disputantur. Propterea Canones sunt exhibiti a Legatis Romanis, quia quæstio nulla erat de iure diuino, nec de potestate Clauium, sed de iure Ecclesiastico ad vsum,& factum pertinente.

# Caput VIII.

*Calumnia P. Lupi Augustino, & Africanis Patribus imposita deletur. Auctoris de Augustini doctrina de Gratia exposita in suis libris sententia propter suauem explicandi modum Parisijs laudata. Nihil in 6. Concilio Carthaginiensi detractum auctoritati Pontificiæ, imò additum. Legati Romani nihil conqueruntur. Vsum & modum iniustum, & ineptum appellandi Patres improbarunt; non tamen resistendo, sed precando reuerenter Pontificem ne ijs vti permitteret, idque ex Augustini Epistolis monstratur.*

ET præclara mea de P. Lupi existimatio, & vetus cum illo necessitudo facit, vt doleam in eam illum venisse sententiam, quæ minus tanti auctoris pietati respondeat, & quam ipse ita dicendo exasperet, vt videatur præbere ansam Heterodoxis sumendi maiores animos ad eleuandam, quod semper moliuntur, Sedis Apostolicæ auctoritatem. Vtrunque improbo, & dictionem, & sensum. Mallem vt secus sentiret; nollem vt ita diceret. Quorsum enim illud? *Canonum Sardicensium ignorantia non solus S. Augustinus sed & cum plena Africana Synodo Aurelius Episcopus incurrit V. Niceni Canonis deuium intellectum, longanque illam, & miserabilem de Romanis appellationibus, atque euocationibus contentionem sub Zosimo Pontifice captam* in præfat. ad Lectorem & iterum *Aurelij Carthaginiensis Episcopi fundamenta sunt antiqua nuga-*

*menta*

*menta factionis Eusebianæ damnantis Iulium Pontificem* in notis ad Concilium Sardicense super Canone V. siue Tertium *Alter Synodi hostis & Canonum Sardicensium ad versarius fuit Aurelius, omnis Africana synodus in quo & S. Augustinus* . Dissert. supr. Conci. Sardic. cap. 6. vbi exponit acta Sardicensis Synodi. Tandem id quod est grauius in ijsdem notis in Canon. V. Sardicensem affirmat declarasse Concilium Africanum non posse Papam Romam ad suum tribunal appellatam causam, & appellantes personas euocare; & de eo cum Romana Ecclesia contendisse. Quæ vt constaret vera esse, debuisset ille non exasperare, sed emollire. Magni enim refert his vel illis verbis vti in referendis aliorum sententijs. In rem puto fuerit narrare, quod mihi accidit Parisiijs Iansenianis temporibus. Scripsi ego rogatus à pluribus hominibus doctissimis summam doctrinæ Augustinianæ de Prædestinatione & gratia, & in centum conclusiones eam conieci, in libro, quem Cortinam appellaui, & conclusiones Augustini Oracula nuncupaui, quæ illius germana dogmata continebant. Ac memini cum liber meus typis mandatus vulgatus iam esset, congratulari mihi magnopere Episcopum Montis Albani, virum insignem, summum Theologum, Egregium Concionatorem, quod munus obibat coram Regina Christianissima, qui tum erat Parisiis in Cænobio Patrum Augustinianorum, qui Reformati dicuntur, quòd tam suauiter illa, vt aiebat, aspera existimata Augustini dogmata expressissem, omni prorsus asperitate detersa; & tam dulcia, & amabilia reddidissem, vt nemo ea deinceps tanquam dura, & difficilia posset repudiare. Fateri se doctrinam in Cortina contentam puram putamque Augustini esse, dulci-

ter tamen, & ſuauiter propoſitam, & quodam quaſi ſaccharo conditam, atque adeo nemini non placituram, eoque mihi nomine gratias agere. *Macte*, inquit, *Macedonæ tu rem gratam & vtilem Theologis & Reipublicæ litterariæ feciſti quod præter morem aliorum exaſperantium Auguſtini doctrinam ſic eam emolliſti vt omnibus dulcis, & iucunda videatur*. Cuius gratulationis poſtea Romæ fructum vidi: nam Sancti Officij Qualificatoris munus ſingulari beneficio Purpuratorum illius Congregationis Patrum obtinui. Tantum momenti eſt in exponenda hoc, vel illo modo doctrina. Similis igitur mei ero, & in pari cauſa ita me geram vt omnem ſuſpicionem diſſidij inter Synodum Carthaginienſem, & Sedem Apoſtolicam auferam. Saltem illud conſequar, vt nemo illam Synodum horreat, imo amet, & veneretur cum in ea fuerit Auguſtinus, qui detrahi quicquam Sedi Apoſtolicæ minime pateretur. Adijcio à me demonſtratum iri non modo non fuiſse iniurioſam Romanis Pontificibus, imò multum ijs, & gloriæ, & auctoritatis addidiſse.

Occaſione Apiarij proximè commemorata orta fuerat de modo appellandi ſuperius adducto controuerſia. Fauſtinus, & duo reliqui Romani Pontificis Legati volebant hos quatuor modos defendere ac tueri auctoritate Canonum Nicenorum, quaſi ab ea Synodo fuiſsét approbati in Patribus Africanis ſic vniuerſim propoſiti difficiles obſeruatu videbantur propter rationes commemoratas, non quòd negarent ius appellandi, ſed quòd in eius exercitio abuſum timebant, & quòd ille ſecundus, & tertius modus mittendi Legatos à latere noui, & inſoliti apparebant. Recitato igitur Canone, qui ad appellationem Epiſcopi pertinebat, dixit Alipius ſibi omnino videri ſeruandum eſse, quod erat

à Ni-

à Niceno Concilio constitutum ! Verùm de hoc constituto non constare. Quare inspiciendos Canones esse, qui erant in exemplis Orientalibus, vnde illa peti debebant ,& interim Commonitorium Romani Pontificis seruandum esse. Quæ certe Alipij sententia prudens fuit dubitando de veritate Canonum, qui nulli erant in Africæ exemplaribus, cum Niceni dicerentur, & ij Nicenum exemplum haberent sine illis Canonibus, nihil detrahendo iuri; idcirco addidit, vt interim seruarentur decreta Pontificis Romani quod ei gloriosum erat. Adeo vt ipsemet Faustinus Episcopus Legatus dixerit *Nec vestra sanctitas præiudicat Ecclesiæ Romanæ siue de his, siue de alijs, quia dicere dignatus est frater noster, & coepiscopus Alipius dubios esse Canones* eique consensit de Canonum Inquisitione, de qua omnes conuenerunt tum Romani Legati, tum Patres Africani, vt habetur in textu: *Vniuersum Concilium dixit placet*. Pergit deinde Synodus recognoscere alterum Canonem Nicenum de iudicijs & appellationibus Clericorum; in quo Daniele notario legente sancitum: Vt presbyteris, & Diaconis ab Episcopo suo male acceptis, & timentibus grauiora liceat ad finitimos appellare, patienter in eo se habente Episcopo proprio, dumde iure aut iniustitia cognoscitur & deliberatur. Respondet Augustinus diuinitùs cum vniuersa illa Africana Synodo & nominatim postea *Hoc nos seruaturos profitemur salua diligentiori Inquisitione Concilij Niceni*. Et hoc placuit. Et auctoritas Niceni Concilij à Secundo Episcopo Ecclesiæ Suffetulæ Legato Bisacenæ prouinciæ commendatur.

Atque hic Faustinus Romanus Legatus assensum præbuit suum Augustini laudata sententia, & confirmauit sibi placere supersedendum esse, & monendum Pontificem Romanum. Pactum inter omnes, vt si qui Canones Orientalis Ecclesiæ responderent Romanis, firmarentur omnino hi duo Canones quasi legitimi, quamuis Africani allati à Cæciliano, qui interfuerat Concilio Niceno, & exemplum inde attulerat discreparent, nam in hoc minime reperiebantur. Sin secus: nouam Synodum de re institui oportere. Ita discessum sine vlla querimonia Legatorum Romanorum. Itaque placita Concilij Apostolicæ auctoritati fauerunt: tum quia oblatos Canones Romanos suis Africanis anteposuerunt: tum quia interim nihil præter Pontificis Romani sententiam facere voluerunt: tum quia Papam consulendum decreuerunt: quæ tria rem Sedis Apostolicæ continebant. Quid ergo muginantur aduersarij Ecclesiæ vel Africanæ, vel Romanæ, cum in his nulla inter eas contentio, sed summa consensio inueniatur? Quare reprehendunt hanc Synodum de qua ne queri quidem potuit Romanus Legatus Faustinus? quem dolor pungeret & stimularet aduersos illos Patres, si quid esset, vel dictum, vel factum, quo vel leuiter Romanæ Sedis auctoritas læderetur. Cur ij magis mouentur, quàm sunt moti ipsimet Legati, quorum partes erant Romanam dignitatem tueri? Tamen obijcient hactenus rectè consultum, & deliberatum. Verùm posteà quàm venerunt exempla Nicenorum Canonum ex Oriente, & minimè expectationi Romanæ responderunt, non repertis illis Canonibus, quos desiderabant, secus à Patribus iudicatum, & Pontifici Romano contradictum: quemadmodum apparet ex dua-

bus Epistolis Synodalibus, vna ad Bonifacium, altera ad Cælestinum missis, quæ in tomo Conciliorum habentur. Igitur fuit dissidium inter vtranque Ecclesiam nolente Africana parere decretis Romanæ circa formam & vsum appellandi. Id autem patet in secunda Epistola in qua sic. *Decreta Nicena siue inferioris gradus Clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis aptissime commiserunt. Prudentissime enim, iustissimeque prouiderunt: quæcunque negotia in suis locis vbi orta sunt finienda.* Et paulopost *Quomodo Transmarinum iudicium ratum erit ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis alijs intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt?* Rursum *Nam vt aliqui à tua sanctitate mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum.* Propterea P. Lupi errorem appellat hanc sententiam in notis ad 5. Canonem Concilij Sardicensis, & illius fundamenta *nugamenta factionis Eusebianæ* vocat, nihil enim tunc de Augustino, qui in eo erat Concilio, cogitabat.

Respondeo igitur perspicuè ad tollendam difficultatem, & quidem vt pungam obiter Lupum, & Positiuos huiusmodi Scriptores more Scholastico. Primò sic: Patres Africanos distinxisse inter potentiam, & actum, siue inter potestatem, & vsum, & nunquam negasse potentiam, nec potestatem in Pontifice Romano, sed ea retenta de actu & vsu dubitasse; quæ erat quæstio de facto, & ad conuenientiam pertinebat: vtrum scilicet expediret ille vsus potestatis, & ille actus potentiæ cum iure appellandi; quod perinde erat, ac dicere posse Papam; sed dubitare, an liceret? quo pacto Theologi fatentur multa posse Pontificem de potentia absoluta, quæ interdum non licent, nec expediunt.

Secundò quæstionem illam versari intra Canones, quos producebant Legati Romani dicentes illum vsum potestatis in Canonibus contineri, nihil disputantes de iure, & potestate absoluta summi Pontificis, quæ erat extra Canones, & altius habebat principium, nimirum in iure diuino, & Clauibus Petri: vnde tota controuersia intra Canones versabatur.

Tertiò quia quoquomodo res se habeat Patres Africani non restiterunt decretis Papæ, sed petierunt ne vellet eo modo vti in exercenda potestate: orando, non contradicendo, per modum supplicum, non iudicum; non cum auctoritate resistendo, sed cum humilitate deprecando. Patet ex verbis Epistolæ Synodalis, tum primæ, tum secundæ. In prima enim ad Bonifacium sic *De tua poscimus sanctitate*; & iterum; *Obsecramus* quo ad Inquisitionem Canonum. Quo ad executionem verò paulo post aiunt; *Sed credimus misericordia Dei nostri, quòd tua sanctitate Ecclesiæ Romanæ Præsidente non sumus iam istum typhum passuri, & seruabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non disserentibus custodiri debeant cum fraterna charitate, quæ secundum sapientiam atque iustitiam, quam tibi donauit Altissimus etiam ipse prospicis esse seruanda; si fortè aliter se habeant Canones Concilij Niceni*. Quod maxime obseruandum est. Cum enim dixissent se esse seruaturos decreta Canonum Nicenorum, si quæ imperabantur, ea in illis continerentur, nunc antequam scirent non contineri, precantur ne executioni mandentur. An erat hoc Canonibus derogare? aut ijs nolle parere? nequaquam. Igitur neque dum monebant Papam, & precabantur ne fieret illa executio, derogabant pontificiæ potestati. In secunda

verò

verò Epistola ad Celestinum perspicuè post recepta iam exemplaria Canonum Orientalium *Præfato*, sic inquiunt, *debitæ salutationis officio impendio deprecamur, vt deinceps ad aures vestras hinc venientes non facilius admittatis*. Viden vt deprecentur? Viden vt supponunt venturos ne impediant? Viden vt non negant admittendos, sed tantum improbant facilitatem in admittendo? *Non facilius admittatis*. Viden vt addunt *Nec à nobis excommunicatos in communionem vltro velitis excipere*? Ad voluntatem Papæ se remittunt adhuc prolatis Canonibus Niceni Concilij in quibus non erant illi duo in quibus imperata non continebantur. Posteà *Ne à tua sanctitate vel festinato, vel præproperè, vel indebitè videantur Communioni restitui*. Agunt de abusu, non de vsu. Cauent ne qua obrepant vitia; non vetant ne hoc fiat citra vitium. Adijciunt: *Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia, sicuti dignum est ne admittat sanctitas tua*. Nota *improba*, non proba: illa excludunt: ista non excludunt. Et quòd maximè rem continet, cùm negassent vllum esse Patrum decretum de mittendis Legatis à latere, aiunt prope finem Epistolæ. *Executores Clericos vestros quibusque potentibus nolite mittere; nolite concedere ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere*. Ecce quod negarant contineri vlla in Synodo, idest mitti Legatos à latere,

admit-

admittunt, & tantum petunt ne mittantur potentibus, ne insolenter agant, & turbent pacem Ecclesiæ: dum enim hos excipiunt cæteros non impediunt, & vtuntur verbo *Nolite* hoc ipsum reuocantes ad arbitrium Pontificis. Fateor, mi Lector, cum ista lego magno pietatis sensu commoueri considerans Africanorum Patrum moderationem, suauitatem, submissionem erga Romanum Pontificem, & stomachor illis qui eos iudicant fuisse refractarios, & contentiosos, cùm tam officiosè, & obsequenter erga Pontificem se gesserint: & quia inter eos erat Augustinus vir Sanctissimus, Sapientissimus, & suauissimus suspicor hanc Epistolam ab eo fuisse dictatam. Nec de nihilo id suspicor; est enim conformis alteri Epistolæ de appellatione Antonij Fussalensis, de qua supra commemoraui: conferens enim vtranque inuenio esse germanas. Accipe illam Epistolam 262. & lege hæc verba quæ sunt sub finem *Subueni hominibus* (ad eundem Cælestinum scribit) *opem tuam in Christi misericordia poscentibus. Iudicia & publicas potestates, & militares impetus tanquam executuros Apostolicam sententiam. Non sinas isti fieri obsecro te per Christi sanguinem per Apostoli Petri memoriam*; & cætera quæ à Sanctissima illa manu diuinitus dictata exarantur: & hic mihi erũpunt lacrymæ, ortæ ex pia commotione animi agnoscentis in Augustino, & Patribus Africanis tantam in Sedem Apostolicam obseruantiam, & submissionem: cùm alij detorquendo verba, arrideant auctoritatem Apostolicæ sedis, & imponant calumniam Sanctissimis Patribus, Tuta est Apostolicæ Sedis auctoritas vbi Augustinus consistit; Verto igitur lacrymas ad eorum vel imperitiam, vel maleuolentiam deplorandam.

# Caput IX.

*Vsus appellandi in Ecclesia Africana post illud Concilium VI. continuatus ex Augustini, Leonis Papæ, Gelasij, Hormisdæ, Pelagij litteris ostenditur. Eo patet nunquam fuisse de iure appellandi dubitatum. Canones Nicenos duobus, tribusue exceptis non ignorarunt Patres Africani. Laudatur Baronius. Epistola Bonifacii Secundi reprobantis illud Concilium à P. Lupi non improbata, commentitia esse ostenditur auctoritate Baronij, & complutium auctorum.*

PRoximæ responsiones auferunt omnes difficultates, quas aduersarij conantur opponere. Super est ad ueritatem nostræ sententiæ confirmandam validum, & idoneum argumentum ab euentu, & vsu secuto post illam, quæcunque tandem sit, controuersiam. Constat ex historijs Ecclesiasticis continuatum fuisse appellandi ad Sedem Romanam vsum ab illo tempore Concilij Sexti Africani. Compertum est apud Augustinum, qui in eo Concilio secundum Aurelium præcipua pars fuit, istius continuationis testimonium in appellatione Antonij Fussalensis toties à nobis laudata in Epistola 262. eiusdem Augustini, in qua fit mentio illius modi, quem maximè visi sunt illi Patres abhorrere, mittendi Legatos à latere; qui exprimitur ab Augustino, cum potestate armata, & turba militari, quam & si Augustinus excludat, excludendo significat eundem Romanum Pontificem Cælestinum à sua consuetudine non recessisse, quemadmodum te-

ſtimonia ante adducta demonſtrant, quæ non oportet repetere. Illud autem eſt obſeruandum, quòd idem Pontifex, quo cum ſuſceptam aiunt aduerſarij contentionem, quam *miſerabilem* vocant etiam poſt litteras Synodales, quas appellant refractarias, nihilominus, quàm ſi concordia, & conſenſio eſset, ſuum ius, & morem retinuiſſe, & Patres Africanos agnouiſſe. Vnde? Niſi quia non iam Canonum priuilegio, ſed poteſtate Clauium vtebatur, cui refragari nemo Catholicus auſus fuiſſet. Nam nullam deinceps ſuper eo nouam Synodum habitam fuiſſe legimus, ac proinde exercuit ſuæ iuriſdictionis gladium Romanus Pontifex, eo que difficultatem nodos Alexandræo more præcidit Diuino oraculo vſus: *Dabo tibi claues regni Cælorum.*

Paulò poſt Leo Magnus cauſam Lupicini Epiſcopi ad ſe appellantis ſuſcepit, iubens in Africa de mandato ſuo audiri, & terminari: quemadmodum teſtatur *ad Epiſcopos Africanos per Mauritaniam Cæſarenſem conſtitutos*. 91. ſiue 87. apud Binium, *Cauſam quoque Lupicini Epiſcopi illic iubemus audiri, cui multum, & ſæpius poſtulanti communionem, hac ratione reddidimus, quoniam cum ad noſtrum iudicium prouocaſſet immerito eum pendente negotio à communione videbamus fuiſſe ſuſpenſum*. Similia exempla ſuppeditant in Epiſtola Gelaſij. 11. *ad Dardanos* lectu digniſsima. Hormiſdæ ad Iuſtinianum Auguſtum 25. & Pelagij 2. Epiſt. 2. *Patribus vniuerſis Epiſcopis*. quæ omnino rem continent. Legendum item Commonitorium Gelaſij ad Fauſtum Magiſtrum.

Atque his confutantur ſcripta aduerſariorum: tum Heterodoxorum, qui malignè hanc Synodum opponunt Sedi Apoſtolicæ tum Orthodoxorum, qui in-

cautè

cautè illis assentiuntur, in quibus est Pater Lupi, qui non debuit pro sua singulari & Religione, & eruditione tam facilè sibi persuadere Patres Africanos à Romano Pontifice dissensisse. Non item probo modum loquendi Patris Noris lib. 1. Hist. Pelag. c. 17. in fine dum ait *Africani iura extendere conabantur*, quod est indignum sanctis illis Patribus, qui non ambitionis cupiditate, sed pacis studio ducebantur. In quo etiam illud improbo, quòd dicat *Africanos Patres non solum Sardicenses; verum etiam ipsosmet Nicenos Canones diù ignorasse*. Cum in hoc Concilio sexto Carthaginiensi Patres dicant num. 9. *exemplaria fidei, & statuta Nicenæ Synodi, quæ ad nostrum Concilium per Beatæ recordationis olim prædecessorem tuæ sanctitatis* (loquuntur cum Aurelio) *qui interfuit, Cæcilianum Episcopum allata sunt*. Erant ergo Nicena statuta, siue Canones noti Patribus Africanis. Quod autem obijcit Noris ignotum vnum Canonem fuisse de non ordinandis duobus Episcopis in eadem Ecclesia accipimus, & respondemus potuisse fieri, vt inter alios iste ignoraretur; nisi fortè ignorantia istius, & aliorum fuit priuata Valerij, & Megalij, non autem omnium Patrum Africanorum: quemadmodum etiam significatur in eo loco Concilij, & Epist. Synodali. Nemo sanè cordatus existimarit illos Patres, quos acceperant à Cæciliano Episcopo Codices Nicenorum Canonum, eos non legisse. Nisi fortè hic Canon eos latuit, quòd non erat scriptus in exemplis Africanis: nam diuersa fuisse illius Concilij exemplaria, quorum alia plures, alia pauciores Canones continebant, postea ostendemus. Prætereà ille Canõ erat de re quæ raró cõtingere

poterat, ac proinde minus ad Ecclesiasticam administrationem necessarius.

Palmarium illud esse volo in hac mea responsione, quod ex ea deducitur ius appellandi non fundari in nullis Canonibus, sed fortiori niti fundamento, videlicet iure diuino cum Clauibus Petro Apostolo tradito; vnde ii, quales, quales sunt, Canones emanarunt, cum Patres Africani etiam citra auctoritatem Canonum ius, imo & vsum appellandi, ratum habuerint & seruauerint. Falluntur ergo auctores qui putant appellationes factas in Ecclesia his Canonibus Sardicentibus fulciri, minus enim dignè sentiunt de fonte, & origine illius iuris, & vsus. Sciant non tantum momenti esse in ijs Canonibus, quantum ij inesse arbitrantur. Desinant ita loqui, vt videantur sentire illis remotis cadere totum ædificium appellationis, & propterea reprehendunt Patres Africanos de ignorantia illorum Canonum, quasi ius & vsum appellandi ignorarent. Constat ex dictis, Sanctissimos illos Patres cum Augustino altiùs spectasse, & certiùs vidisse ius illud appellationis super Canones esse. Quod si de Canonibus tractarunt, eò fecerunt, quod Legati Romani eos Canones obtulerunt; quos ego sanè miror tantam vim fecisse in iis Canonibus, cùm tamen possent supra Canones ire, & respiciendo ius Clauium ad illud controuersiam reuocare. Verùm ne hos quidem ego reprehendo, quia de modo tantùm appellandi agebatur, quod hic ante me obseruarunt Baronius, Spondanus, & Binius, qui mecum penitus sentiunt, & nullam dissensionem, ne dum contentionem cum Sede Apostolica in hoc Concilio inuenerunt. Deleat ergo P. Lupus illam vocem *miserabilem contentionem*. Miseren-

dum potius est homini erudito, qui ab scopo veritatis aberrauit.

Animaduerto, nequis scrupulus supersit; illas difficultates, quas in suis Epistolis Synodalibus Africani Patres Romano Pontifici proponunt, ne pergat illos modos qui videntur alieni, & violenti sectari in appellationibus exequendis, & alias quas repræsentant ex parte testium, qui vel non possint Romam se conferre, & vel testimonia aptè & couenienter dicere, nihil huic doctrinæ obstare; omnes enim sumuntur ex parte obiecti, non autem ex parte potentiæ, vt scholastico more dicam, vnde apparet eos nunquam dubitasse de potentia, & iure Romani Pontificis, sed de obiectis, & actibus istius potentiæ, & iuris, in quibus poterant difficultates & abvsus inueniri: quod quidem pertinet ad modum, non vero ad ius appellandi: quod etiam egregiè ad notauit Baronius, & Spondanus ad annum 419. nu. 12. Binius tom. 1. in not. ad hoc VI. Carthag. Concilium pag. 629. qui distinguunt interius, & modum, & affirmant istam controuersiam de modo tantum fuisse. Verum quidem est ab iis huiusmodi quæstionem minus esse latè tractatam, quàm est à nobis, qui conati sumus omnem prorsus dubitationem tollere, & vtranque inter se Ecclesiam conciliare, vt Augustini honori consuleremus, eumque à macula ei à P. Lupo afficta vindicaremus: reddimus tamen debitam gloriam Baronio, & socijs, nequem sua laude fraudemus; in quò certe P. Lupus, & Noris aliquando peccant, Baronium, vel prætereundo, vel deserendo, vel reprehendendo.

Obijcies textum Epistolæ Bonifacij Secundi Papæ ad Eulalium Antistitem Alexandrinum; *Aurelius*, in-

quit, *præfatæ Carthaginiensis Ecclesiæ olim Episcopus cum Collegis, suis instigante Diabolo, superbire temporibus prædecessorum tuorum Bonifacij, atque Cælestini contra Romanam Ecclesiam cæpit*. Qua Epistola nituntur Hæretici ad inducendam dissensionem Africanæ Ecclesiæ à Romana, & ij qui ex Catholicis *miserabilem contentionem* ingerunt: inter quos est P. Lupi qui videtur hanc Epistolam probare dum ait in prologo eam *contentionem tempore Bonifacij secundi extinctam fuisse*: quod quidem miserandum est in homine tam pio, & erudito. Respondeo igitur hanc Epistolam esse suppositam, & prorsus commentitiam, quemadmodum ostendit Baronius tum in Notis ad Martyrologium Romanum, 16. Octobris, tum in Annalibus ad ann. 419. & Spondanus ibi. num. 14. & Seuerinus Binius in Notis tomo 1. pag. 619. & tomo 2. idque pag. 396. multis argumentis probatur tum ab ijs, tum à P. Noris lib. 1. Hist. Pelag. cap. 17. nec à me quidquam addi oportet, cùm omnia sint ab his auctoribus occupata. Tantùm dico non fore locum [quod impudenter dicit epistola,) *instigante diabolo*, in eo Concilio, vbi erant duo Aurelij prorsus aurei Carthaginiensis, & Hipponensis, Credant fabulæ plumbea ingenia, digna quæ plumbatis cædantur. Nihil ibi nisi Angelicum vbi Cherubinus Augustinus aderat, qui Angelum discipulum D. Thomam habuit, *& Magni Consilij Angelus* appellari potuit. Hic prope metam profiteor me in hac tota de appellationibus tractatione non tam generatim, quàm speciatim de Africanis locutum, quæ meæ partes erant. Qui generalem notitiam cupit eam quærat apud iuris Canonici Prudentes: atque vt aliquem

nomi-

nominatim proferam; agit de eo luculentissi nè in 1. tom. suæ Iuris prudentiæ Sacræ, & Ecclesiasticæ, quod opus propediem lucem videbit, Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus D. Abbas Antonius Paulucius Patauinæ Vniuersitatis Lector Primarius: nunc Auditor Rotæ Romanæ à Sanctissimo Domino nostro Papa Clemente X. creatus; vir eruditione summa, doctrina singulari, moribus probatissimis, qui eximijs suis virtutibus, præclarisque meritis eam dignitatem obtinuit, ad maiores, vti sperandum est, ex eo gradu deinceps ascensurus.



## Caput X.

*Canones illi duo de appellationibus, vulgò dicti Sardicenses, Niceni sunt; idque idoneis argumentis ostenditur. Eiusque rei Innocentius primus. Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo primus: Gelasius auctores sunt. Nulla Sardicensium Canonum mentio in antiquis Pontificum Epistolis vsque ad Gregorium magnum. Concilij Florentini idem confirmat auctoritas. Niceni Concilij Canones, siue fuerint viginti, siue plures, hos duos Canones de Appellationibus omninò expresserunt. Proponitur Patris Lupi aduersa magno auctori Baronio sententia. Ac eiusdem Baronij doctrina de numero Canonum Nicenorum profertur.*

ET si minus iam de his Canonibus asserendis laborandum sit à nobis præsertim, qui altius repetiuimus originem appellationum, cum eam Euangelicæ veritati assignauimus, non ideo tamen omittenda quæstio, quæ ad institutam disputationem facit, de verisimilitudine sententiæ negantis cum Augustino Sardicense Catholicorum vniuersale Concilium. Equidem fateor commune placitum auctorum esse illos Canones Sardicenses in Nicena synodo conditos non fuisse, sed & pro Nicenis haberi, quod Concilium Sardicense, & Nicenum pro vno, & eodem habeantur, & acta amborum in vnum corpus in Vaticana bibliotheca coniecta & vna coniũcta inueniri. Itaque & mentem vnam in sentiendo, & vnum corpus in scribendo fuisse, atque adeo ambo vna, & eadem anima, vno &

eodem corpore constare. Agnosco rationem, & accipio: verùm ei omnino aquiescere non sinunt huiusmodi rationes.

Prima quia: ista responsio non satisfacit, cum magna sit diuersitas vtriusque Concilij: nam in Niceno est Symbolum quod nullum est in Sardicensi. In Niceno aliæ quæstiones propositæ fuerunt de Homousio, de Schismate Melatiano, de tempore Paschatis, quarum mentio nulla in Sardicensi. In Niceno damnatus Arius, & sequaces. In Sardicensi de ijs altum silentium. Tandem Canones sunt diuersi: in quibus consistit anima Conciliorum: non est igitur anima vna. Quod attinet corpus minime persuadet. Quid enim refert esse coniuncta volumina, cum etiam in sacris Biblijs sint libri Canonici cum apocryphis coniuncti, & in Hieronymo, & Augustiao, & alij Patribus multa opuscula notha & adulterina compaginentur?

Secunda, ipsimet Pontifices Romani, qui eos Canones produxerant, & tanquam rem suam continentes in Africam miserant *Nicenos* eos appellarunt, & hoc nomine Legati Apostolici coram Synodo Africana protulerunt, & eorum auctoritate, quæ summa erat in Ecclesia, ius, & vsum appellandi suum roborarunt. Quod minime facerent si Sardicenses essent; cùm præsertim eos non lateret, Patribus Africanis ignotum esse Sardicense Concilium, imo, & Hæreticum ab ijs haberi. Putarunt ergo eos Canones esse Nicenos, non Sardicenses. Vnde formo dilema vel Zosimus, Bonifacius, & Cælestinus nouerunt eos Canones esse Nicenos, vel non? si nouerunt, Niceni erant. Si secus: imposuerunt Patribus Africanis obtrudendo Sardicenses pro Nicenis, ac perinde eos ipsi habebant. Hoc tamen non

satis

satis erat ad fidem: sciebant quippe ijs non credere Africanos, & refutaturos si scirent esse Sardicenses. Igitur si pro Nicenis miserunt, neque fidei, neque existimationi consuluerunt.

Tertia: nisi essent crediti Romæ Niceni, idque sibi Legati persuaderent, non permitterent vt fieret inquisitio de illis Canonibus in Ecclesia Orientalis, sanè imprudentes fuisse videntur dum permiserunt inquiri de ijs tanquam Nicenis. Et verò fiducia qua inquisitionē acceptarunt, monstrat credidisse eos Canones germanos Nicenos esse, nam si aliter existimarent, non se exponerent periculo prodendi falsitatem.

Quarta; quia oportebat cùm primùm comperissent eos Canones non inueniri in exemplaribus Orientis purgare se excusando Concilium Sardicense, & occupando Romæ illud haberi pro Niceno. Quare nihil mirum videri debere, quod Canones Sardicenses pro Nicenis item Romæ haberentur; ne in dubium vocaretur Romani exemplaris fides. Equidem quempiam prudentem Legatum ità fuisse facturum existimo, vt fidem dictis præstaret, & ego ità facerem si Legatus fuissem. Verum quidem est in quibusdam editionibus cap. 6. Concilij Sexti Africani poni Canonem Osij ex Sardicensi Concilio qui est 17. in Sardicensi. Verum illud glossemma est, nam in reliquis capitibus, vno excepto, semper fit mentio Niceni Concilij: nulla verò de Sardicensi. Vnde patet illam particulam esse suppositam.

Quinta; sinceritas, & fides, & candor Romanæ Ecclesiæ non ferebat illam speciem, & fucum offerendi Canones Sardicenses pro Nicenis. Id que tandiù sustineri sub Zosimo, sub Bonifacio, sub Cælestino: præ-

bere-

beretur quippe ansa querelæ Patribus Africanis; qui candidè, & ingenuè credebant Canones, qui afferebantur esse Nicenos, ac idcircò eos sunt venerati, & ob eorum reuerentiam supersederunt ab omni controuersia interim dum inquirebantur. Nota est fides Ecclesiæ Romanæ in seruandis legitimis exemplis, & Chartis, quas virgines seruabant in Chartophylacijs nec corrumpi sinebant, contrà quàm fieri consuetum in Ecclesia Græca, in qua codices falsabantur; quod Ioannes à Monte Nigro Prouincialis Dominicanus in Concilio Florentino Marco Ephesio obiecit ses. 20. initio; neque id ausus est inficiari Marcus Ephesius eius antagonista, qui assensus est his verbis: *Non imus*, inquit, *inficias codices multos in terris nostris ab Hæreticis sæpissime corruptos fuisse*. Non decebat ergo in re tam graui vti testimonio Canonum Sardicensium pro Nicenis, sed omnino fateri eos Canones magnæ auctoritatis esse, quamuis Niceni non essent: qua ratione Romanus in citando Candor integer permanebat. Hactenus de rationibus.

Nunc de momentis auctoritatis. Iis ductus affirmo hos duos Canones, qui Sardicenses dicuntur, esse prorsus Nicenos germanos, non Sardicenses. Rem magnam ordior, sed non despero à me perfectum iri. Primum iam dudum obseruaram in Epistolis Pontificijs eius sæculi; & sequentis nullam fieri mentionem Canonum Sardicensium, cùm tamen ea plena fuerint euentibus euocationum, appellationum, damnationum, absolutionum, Ecclesiasticarũ Romani Pontificis auctoritate & opera gestarũ. Legat qui

volet, Epiſtolas Innocentij primi, & ſequentium vſque ad Gregorium Magnum: altum in ijs eſt de Canonibus Sardicenſibus ſilentium. Niceni ſoli nominantur, hi ſoli producuntur, & origo eorum ad Claues refertur, quemadmodum ſuperius animaduerti, quod ego accuratiſsimè lectis omnibus Epiſtolis obſeruaui: cum tamen ijs temporibus multa occurrerint exempla vſus huius auctoritatis, & poteſtatis cum Patriarchis Orientalibus, ac in primis Conſtantinopolitanis Anatolio, Acatio, Timotheo, Ioanne, Epiphanio, Anthimo, Eutychio, & cauſæ multiplices agerentur maximam partem controuerſioſæ, ad quas decidendas oportebat præſidia Canonum aduocare. Commemorare iuuat aliquot exempla, vt noſtram ſententiam adſtruamus, & roboremus.

Innocentius primus Epiſt. 1: ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum diſertè exprimit Canones iſtos duos, quos Sardicenſes vocant, eſse Nicenos, atque à Nicena Synodo ſtatutos. De Zoſimo, Bonifacio; Cæleſtino non opus eſt dicere, cùm ab ijs miſſi fuerint Canones eo nomine, quòd Niceni eſsent, ad Patres Africanos. Ecce quatuor Pontifices eius rei auctores ſunt. Adſtipulatur Leo primus Epiſt. ad Theodoſ. 9. & 26. & 27. Fauet Epiſt. 56. ad Anatolium, & 58. ad Pulcheriam Auguſtam, & Epiſt. 88. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſsalonicenſem. Nec non Felix, & Gelaſius in Commonitorio ad Fauſtum ante Epiſt. 9. eiuſdem: quamuis enim non exprimat nomen, Canones tamen Nicenos ſignificat. Ac obiter id obſeruo; cum ſæpe de quatuor Concilijs vniuerſalibus mentio fiat in his Epiſtolis, imo & aliorum Pontificum nil prorſus de Sardicenſi Synodo commemorari. Atque

vt aliquid certi afferamus verbis expressis. Innocentius I. Epist. I. ad Victricium sic. *Si quæ autem causæ, vel contentiones inter Clericos tam superioris Ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, vt secundum Synodum Nicenam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur, nec alicui liceat sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cuius in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant ad alias conuolare prouincias. Quod si quis forte præsumpserit, is ab officio Clericatus submotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ ad Sedem Apostolicam sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit post iudicium Episcopale referantur.*

Leo primus Epist. 9. ad Theodos. Augustum: *Quid autem*, inquit, *in Constantinopolitana Ecclesia perturbationis acciderit, quod ita fratres & Coepiscopum nostrum Flauianum potuerit commouere, vt Eutychium presbyterum communione priuaret, non dum potuimus euidenter cognoscere. Quamuis enim prædictus presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit breuiter aliqua prælibauit asserens se Nicenæ Synodi constituta seruantem frustra in fidei diuersitate culpatum.*

Gelasij Commonitorium ad Faustum Magistrum thesaurus est huiusce doctrinæ: excerpo gemmam. *Quæro tamen ab ijs; iudicium quod prætendunt, vbi nam possit agitari; an apud ipsos, vt ijdem sint inimici, & testes, & iudices? sed tali iudicio nec humana debent committi negotia, ne dum diuinæ legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet non nisi Apostolicæ Sedi iuxta Canones debetur summa iudicij totius, si quantum ad sæculi potestatem illa à Pontificibus, & præcipue à Beati Petri Vicario, debet coguoscere quæ diuina sunt, non eadem ipse iudicare; nec sibi hoc potentissimus quisquam sæculi, qui ista*

*men Christianus est vindicare præsumit nisi religionem fortasse persequens*. Vox *iuxta Canones* Nicenos significare videtur. Hoc ipsum copiosius & validius confirmat Gelasius Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ.

Accedit auctoritas Concilij Florentini sess. 20. vbi tum Græci, tum Latini Canones illos Nicenos esse testantur. Primum Marcus Ephesius id tanquam certum, & indubitatum ponit his verbis: *verum ea vos non ignorare existimo, quæ Zosimi summi Pontificis tempore acta fuerunt: qui cum ad Carthaginiense Concilium scripsisset, Nicenæque Synodi decretum misisset Romanum Pontificem Oecumenicum appellandum, Concilium illud respondit, se prius velle ipsius Synodi acta, quæ vel Alexandriæ apud Cyrillum, vel Constantinopoli apud Proculum essent, diligenter inspicere, quandoquidem apud acta ipsius Niceni Concilij decretum non extabat &c. & tertiò vocat Nicenum*. Cui Ioannes Theologus in hac narratione facti, & nomine Canonum Nicenorum consensit, cùm calumniam corrupti textus à Zosimo, quam eidem Marcus intenderet, refutasset, asserens veros fuisse Canones Niceni Concilij, quos Zosimus ad Concilium miserat. Affero locum, qui rem omnino continet. *Debebas*, inquit, Ioannes ad Marcum, *vetustissimas ac humanissimas Iulij, Liberijque summorum Pontificum litteras bene memoria tenere, quas Iulianus præstantissimus Sanctæ Sabinæ Cardinalis nobis ostendit, quibus patet Athanasium, cum ab Antiocheno Concilio damnatus fuerit, ac eundem Concilium ipsum vehementer persequeretur, ad Felicem, Marcum, Iulium, Liberium scripsisse, ac eosdem obsecrasse, vt acta Synodi Nicenæ, quæ perfecta, & non mendosa Romæ in bibliotheca extarent ad ipsum mitteret, quandoquidem omnia quæ in*

*Orientali Ecclesia extabant ab Arianis corrupta fuerant. Cui quidem Athanasio summi Pontifices ipsi responderunt, se acta illa quæ Græce Latineque scripta, ipsorumque met Patrum manibus subscripta, & eorundem sigillis obsignata à summis Pontificibus summa veneratione seruarentur nolle mittere, se tamen ipsi Athanasio nonnullos exscriptos Canones daturos, qui ad eius rem facere viderentur. Deinde cum Athanasius ab ipso Antiocheno Concilio ad Romanam Sedem prouocasset, Hæreticis ijsdem obijcientibus id non iure fieri potuisse, Liberius ipse ad Athanasium Nicenum decretum de prouocando ad Romanam Ecclesiam exscriptum misit, quo deinceps Athanasius acerrimè se contra Hæreticos defendit.* Et laudato Iulij testimonio alterius decreti Niceni vetantis in consulto Pontifice cogi Concilium concludit. *Cur ergo Zosimum immerito accusas ipsum ad Carthaginiense Concilium falsam Nicenæ Synodi Canonem misisse?* Nulla hic est mentio Canonis Sardicensis, sed solius Niceni. Non me fallit Patrem Lupum sæpe negare has Epistolas germanas esse. Scio id etiam affirmare Baronium, Bellarminum, Spondanum & Binium. Verum vtcunque sit de veritate Epistolarum, satis mihi est quod in Concilio Florentino cùm fiat mentio illarum Epistolarum nulla fit Concilii Sardicensis, sed tantùm Niceni, & in eo conuenire Marcum Ephesium, & Ioannem Theologum, quibus haud scio an fuerint doctiores in eo Concilio. Itaque non multum interest vtrum illæ Epistolæ veræ sint an falsæ? Satis est quòd in eo Concilio vniuersali Niceni Canones nominentur. Non omittam tamen dicere difficile mihi videri deceptos fuisse illos

duos

duos antagoniſtas nec ſolum eos, ſed & Iulianum Cardinalem, imò cæteros in Concilio aſsiſtentes; maior certè eſt apud me tacita vniuerſalis Concilij conſenſio dum audiendo dicta viſum eſt ea probare, quàm contradicentium, vel loquaciſsima argumenta. Nec verò Baronius, Bellarminus, & ſequaces omnes illas Epiſtolas negant, vti facit P. Lupus qui eas omnes ſtramineas appellare ſolet. De qua mihi cum eo quondam Romæ acris, ac vehemẽs publica diſputatio fuit in Collegio de Propaganda fide, me illas Epiſtolas cum Florentino Concilio ſuſtinente, & Lupo impugnante, & ſtramineas eſse clamante. Cui ego non ineptè, opinor, repoſui; nos Romæ eſse, vbi ſtraminea Romuli Regia fuit, de qua Virgilius lib. 8.

*Romuleoque recens horrebat Regia culmo.*

Vbi paſtores erant, ſtramina inueniri, quibus cùm ipſi, tum oues incubarent. Malle me credere Concilio, quàm Hincmaro amari et oris & animi viro. Scribat ille ad caput 8. diſsert. ſuper Concilio Sardicenſi *Epiſtolas illas tanquam ſuppoſitas tam à doctis paſſim reijci* ego non reijcio, & indoctum me fateor, qui ſcio inter Canones etiam Paleas recipi, & gratioſas Gratiano videri. Rurum ſcribat idem Lupus cap. 6. *neque Marcum Ephesium, neque Ioannem Theologum fundum huius rei vidiſſe, & à Mercatore deceptos*. Id minus probo: nam non ij tantùm eas Epiſtolas, ſed etiam alij in eo Concilio receperunt; nec opus eſt videre fundum, ſed tenere, & hærere in fundo, qui veritatis locus eſt. Magnum fundamentum eſt in ea ſententia, cui Concilium Florentinum fundus fuit. Mercator ille optimum ijs fundum tradidit, & qui-

dem cum fænore, nec fefellit fidem. Malo ei quàm Lupo credere: Non ignoro quantum *distent æra Lupinis*. Conabor tamen cùm sim prope Timauum, Laneum, siue lanatum reddere. Certè Theodoretus lib. 11. c. 4. tradit Iulium primum Pontificem Athanasium, eiusque iudices iure Niceni Concilij Romam euocasse prætérito Sardicensi. Quoquo tamen modo sit, nemo antiquorum vsque ad Gregorium Papam, nemo recentiorum in Florentino Concilio Sardicenses illos Canones dixit; sed Nicenos.

Obijcit tandem Lupus hac ratione augeri Canones Nicenos, quos constat esse solos viginti. Latè hac de re & copiosè disputat in Notis ad Nicenum Concilium; & ante illum nos eodem Lupo præsente annos ab hinc ferme duodecim disputauimus, & postea accuratè scripsimus in Syntagmate de Concilijs manu scripto, & propediem in lucem edendo adhærentes sententiæ quæ affirmat plures esse Canones quam viginti, ibi ue laudauimus Isidorum Episcopum Hispalensem, Baronium, Spondanum, Bellarminum, Binium, qui contra Lupum sentiunt, & vsi fuimus auctoritate Concilii Florentini, quam etiam adhibuit Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 25. Exclusimus tamen Canones Arabicos, de quo longa fuit nobis cum Abrahamo Ecchelensi super eo disputatio; qui eos mordicus sustinebat. Verùm non est opus hant quæstionem excitare. Vtcunque sit, hi Canones includuntur in alijs viginti, qui erant auctores, & ab Hæreticis sunt mutilati, & apparet in Canone 6. qui est Acephalus in eo textu Niceni Concilii. Incipit enim sic. *Antiqua consuetudo est* cuius tamen caput inuenitur in Chalcedonensi Concilio ex Codice Romano vbi ponitur

*Quod Romana Ecclesia semper habuit Primatum*, & hoc ipsum significauit Marcus Ephesius in illis verbis superius allegatis. Similiter dico addendos esse hos duos Canones, qui vulgo dicuntur Sardicenses, alijs Canonibus Nicenis videlicet 5. & 7. qui certe videntur mutilati; nec enim credendum est rem tantam, tam necessariam, tam vtilem qualis erat materia appellationum neglectam fuisse à Concilio Niceno, eo præsertim tempore quo Ariani Catholicos Pastores Calumnijs & iniurijs passim afficiebant, à quibus necesse erat ad superiores appellare. Credendum verò Hæreticos vtranque partem am putasse, & caput Canonis 6. & partes Canonis 5. & 7. qui continebant doctrinam Primatus Romani, & appellationum ad Pontificem Romanum. Itaque recte Glossa decretorum in c. *viginti tantum*, sic habet: *Sardicensis plura capitula sunt ex Nicena Synodo accepta*. Iuuat Gratianus: *viginti tantum*, inquit, *capitula Nicenæ Synodi in Sancta Romana Ecclesia habemus. Sed quo neglectu alia defecerunt ambiguum est*: quæ verba manifeste supponunt vltra illa viginti capitula, vti hodie sunt, & olim in illis exemplaribus Orientalibus fuerunt, aliqua capitula fuisse. Summa est etiam retentis viginti Canonibus Nicenis, vti vult P. Lupus, stare nostram sententiam quæ tenet Canones appellationum, qui *Sardicenses*, in primis & castigatis exemplaribus fuisse, vel saltem esse potuisse, ne ad eam quæstionem redigamur; vtrum fuerint plures, aut pauciores quàm viginti, de quo tamen volo Baronij sententiam adscribere, ea que P. Lupi fidentiam refutare.

## Baronius Anno 325. Christi pag. 301. & 302. tom. 3. edit. Rom.

CEterum Nicænos Canones aliquot passos esse naufragium, tabulæ quæ hinc inde dispersæ reperiuntur, manifeste significant. Quis neget, immo quis auctoritate Sancti Hieronymi non affirmet, atque tuto confirmet, in eadem Magna Synodo de Diuinis scripturis authenticis editum esse Canonem? ipse enim sic præfatur in Iudith. Apud Hebræos liber Iudith inter Hagiographa legitur; cuius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur; Chaldæo autem sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum scripturarum legitur computasse; acquieui postulationi vestræ. Nemo igitur inficias ire poterit, eiusmodi Canonem, quo libri canonici numerati erant (nescio quo casu) penitus excidisse.

Rursum vero de bigamis non ordinandis Nicænum Canonem citat Sanctus Ambrosius, qui pariter desideratur: ait enim: Sed prius cognoscamus, non solum hoc Apostolum de Episcopo, & presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus addidisse: neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit] Hæc ipse. At quis, rogo, tam perfrictæ frontis homo tot tantosque Patres

mendacij adeo impudenter redarguerit, & affirmare ausit eos esse mentitos, quod hi duo canones extra numerum illorum viginti positi videantur? Qua pariter ratione falsarius haud dicendus est sanctissimus ille Zosimus Papa, quòd citauerit Nicænum canonem de appellatione ad Apostolicam sedem, qui tamen inter viginti illos nequaquam numeratus habetur, neque apud Græcos inuenitur, sicut nec duo alij superius recensiti; cum tamen Theodoretus illum ipsum digito signet, dum scribit Athanasium Arianorum calumnijs circumuentum, & illorum iudicijs exagitatum in Occidentem venisse, & Arianos litteris contra eundem causam prosequutos esse; quando, inquit, de Iulio; Ille Ecclesiæ canonem sequutus, & eos iussit Romam venire, & diuinum Athanasium, quò pro se in iudicio ipse responderet, vocauit. Sed quinam iste Ecclesiæ Canon? non certe Sardicensis Concilij, quod [ vt idem demonstrat auctor sequenti capite] non dum fuerat celebratum. Compelleris ergo fateri, per Ecclesiæ canonem non alium significatum esse, quam citatum Nicæni Concilij canonèm de appellando ad Romam Pontificem, quem Athanasius ( vt suo loco pluribus declarabimus ) aduersus Arianorum iudicia contra se lata legitime appellauerat. Cum vero constet longe grauiori ex Ariana hæresi tempestate iactatam esse Orientalem, quam Occidentalem Ecclesiam; haud mirum sit, Hieronymum, Ambrosium, & Zosimum Papam, ex Romanæ Ecclesiæ archiuis, atque aliunde petitos, præter viginti illos nouisse Nicænos canones; quod intelligentes Patres Catholici, qui Sardicam ad Oecumenicum Concilium conuenere, complures ex

ca-

canonibus Nicææ in Magno Concilio editis, tanquam in recentiori theca recondentes, decretis Sardicensibus, additis quibusdam alijs, intexuere. Rursus autem Episcopi ipsi Africani in tertio Concilio Carthaginensi sub Siricio Papa, quod constituerunt Canone vigesimo nono, vt non nisi à ieuno sacrificium offeratur, in Nicæno Concilio statutum fuisse, inferius Canone quadragesimo octauo profitentur, cum in fine sic aiunt: De fide enim Nicæna tractatus audiuimus. Verum & de sacrificijs inhibendis post prandium, vt à ieiunis, sicut dignum est, offeratur, & tunc, & nunc confirmatum est. Hæc ibi Baronius.

Super est vnum scrupulum remouere; videlicet laudatas à me esse Epistolas quorundam Pontificum, quæ vulgo apocryphæ existimantur, quod mihi posset Lupus obijcere. Respondeo: propterea id à me factum, quòd vidi ab eodem P. Lupo viro eruditissimo adhiberi Epistolam Bonifacij secundi ad Eulalium prorsus commentitiam. Itaque non poterit mihi opponere, quod ipse commisit. Vnum animaduerto me in vtilitatem Romanæ Ecclesiæ illas Epistolas protulisse, cum ille secus fecerit producta illa Epistola Bonifacij, qua inducta Heterodoxi schisma illud Africanum introducunt: quibus errandi occasio adimenda est, quemadmodum magnus ille parens Historiæ Ecclesiasticæ Baronius fecisse comperitur.

Tandem moneo; me in tribus, quas hoc anno cum tribus doctissimis, & eruditissimis viris de Traditione Azymi, de recta doctrina Sanctorum Lirinensium, de

consensione Africanæ Ecclesiæ cum Romana contentionibus suscepi, rem Sedis Apostolicæ egisse, & omne meum studium, industriam, doctrinam ad Sanctæ Ecclesiæ Romanæ vtilitatem, & gloriam contulisse.

Equidem, ni me mea fallit opinio spero fore, vt hi duo nobilissimi auctores Lupus, & Noris lectis meis hisce commentationibus, quæ illorum ingenuitas est, cognita doctrinæ huius veritate, à sua sententia recedant, & ad meam accedant, ac, pro sua eruditione, noua fundamenta inuestigent, quibus eadem hactenus à nobis tradita doctrina confirmetur: quemadmodum mihi feliciter contigit in prima de Azymo contentione: quam cum absoluissem, rogaui suppliciter Eminentissimum Cardinalem Bonam, vti habetur in meo Commentario in fine capitis quinti, vt pro sua religione, & pietate, Patres alios præter eos, quos ipse collegeram in Vaticana Bibliotheca, in qua eruditè habitat indagaret, quorum testimonijs traditio Azymi stabiliretur, Quod ille studiosè, ac feliciter præstitit: inuenit quippe opusculum manù scriptum Sancti Ildephonsi Episcopi Toletani, qui septimo sæculo floruit, quod rem Azymi continebat, & doctrinam à me traditam firmabat. Quod ille tamen, cùm mihi posset homini Hispano, quòd esset Hispani Scriptoris, tribuere, maluit tamen homini sui instituti Gallo assignare. Fortè quòd in Gallia facilior est, & frequentior vsus edendi libros, & publicandi. Illud autem nos propediem expectamus: quod idcirco animaduertimus, vt homines docti norint tanto viro istud Ildephonsi testimonium

de-

deberi. & si non dubitem, quin auctor, quicunque ille demum sit, Eminentissimum Cardinalem Bonam honorificè appellet, & ipse illo nominato candidè fateatur per quem profecerit.

In calce operis mei satisfacere operæ pretium erit P. Henrico Noris mihi, vt aiunt, subirato quòd aduersus illum scripserim, nam eum ego prius monueram, nec inopinantem lacessiui: ac eius me quidem exemplo defendam. Siquidem ille P. Ioannem Garnerium virum doctrina eximia eruditione multiplici, ac recondita eloquentia summa, virtute singulari, de republica Ecclesiastica benemeritum, senectute venerabilem, quietè & aliud agentem in Gallia, audacter prouocauit, & aculeatis dicteriis acerbe impetiuit, tanta fiducia vt existimet eum à se prorsus esse conuictum. Quod tamen secus est; idque ego multis argumentis palàm facere possem, si otio abundarem, & ille aliquo alio præter se defensore indigeret: ac ne temere loqui videar specimen aliquod huius mei iudicij afferre volo. Initio opusculi sui aduersus Baronium, & Garnerium affirmat S. Ambrosium fuisse in viuis, cum Augustinus expeditionem Cirtensem inaugurandi Episcopi causa suscepit, quod est omnino à veritate alienum: cuius ego rei eundem Baronium auctorem habeo. Fefellit eum illa particula Epistolæ Augustini 163. vbi dicit *Quæsiui ab eo, vtrum iustum, & Christianum putaret Mediolanensis Ecclesiæ Episcopum Ambrosium* &c. quasi verò de viuo Ambrosio sermo sit cum de illo mortuo illa verba possint, debeantque intelligi, quod mihi in Augustino habitanti compertum est. Norit P. Noris cum à

prin-

principe Ecclesiasticæ historiæ recedit[1], à vero
recedere, & ex hoc argumento
discat, quæ scribit contra
Garnerium, ea non
tam esse
indu-
bitata, vt refutari non
possint.

FINIS.



# INDEX
## RERVM.



§ Augu-

Cæle-

§ 2 latio-

## F



For-

Ia-

tra

in

p. 12

Testi-

## Z





005647317